

M I S V



ROSE VIVIT IN VITAE ARBORE
CERNIT FRUCTUS SINE INTERMITTENTE
CORVUS CERNIT VITAE ARBORE

I 6 I O



Rep. LXXV. 3. no. 90.

1877

46.

VADE MECVM

CARA PIETAS ET

RARA CARITAS,

Cuius

INCENDIVM,

AD

Frigus eius ex animis dispellendum,

Excitatur ab

OTHONE CASMANNO.



FRANCOFVRTI

E Collegio Mularum Paltheniano.

M. DC. X.



AD

VENERABI-

LEM DOMINVM

IUSTVM ABEKE, DN.

ABBATEM, ET REVERENDVM

ac vniuersum COENOBII MARI-

ANI apud Stadenfes

collegium.

OTHOCASMAN-

nus eiusdem Ecclesiastes

salutem a Christo Ser-

uatore.



*Os mihi, Vene-
rabiles Domini,
Reuerendi viri
& fratres, in
Christo plurimum dilecti, ad*

(:) 2

EPISTOLA

quos etiam, propitia Dei pro-
 uidentia & voluntate, Chri-
 sti Iesu (cuius me indignū ag-
 nosco ministrum) nomine,
 Euangelii fungor legatione,
 quiq; proinde me primi ad do-
 cendum apud vos Christiana
 veritatis & sanctitatis ver-
 bum elegistis & senocastis,
 praterireundi estis neutiquam.
 Lingua docenti, fas, quaeso, sit,
 scripto monere eos, quos ut
 possim exemplo, vita & opere
 docere, cum gemitu quidem in
 votis est quotidianis, in virib.
 utinam meis persentiscerem.
 Verbi ministrum esse multum
 quidem, at operis verbo
 responden-

DEDICATORIA.

respondentis Magistrum
esse, me Christe, plurimum est.
Auditorem verbi diuini fre-
quentem adamamus, verum
auditi & conseruati verbi o-
perosum factorē admiramur.
Hi gemitus mei, hac vota, in
hac, quam Dei voluntate &
gratia tueor, statione. (Igno-
scite, viri fratres, mihi illa in
vestrum exoneranti, ea, qua
par, caritate & fide, sinum)
nimirum: Ne sim monstrum,
maiorē habens linguam, quā
manum. Insonat enim illud
Magistri mei, Jesu Christi
(Matt. 5.) aurib. meis: Qui
docuerit & fecerit, hic ma-

(:)

EPISTOLA

gnus vocabitur in regno cæ-
lorum. Vult me non modo esse
terre saltem doctrinae sanitate:
sed in super Mundi lucem vitæ
sanitate, & virtutum exem-
plo. Alioqui ex ore me Iudex
ille iudicabit seruum nequam
(Luc. 19.) & vapulabo mul-
tis verberibus. (Luc. 12.) si qui-
dem alligem onera grauiā, &
imponā ea humeris aliorum,
& vix digitulo velim ea at-
tingere & admouere. Omni-
bus sua est demonstrāda fides
ex operibus, & arbor ex fru-
ctibus suis cognoscitur. Omnes
audiamus illud Aurelii Nu-
meriani: Esto, quod audis: Sen

illud

DEDICATORIA

illud Horatii: Tū recte vivis, si
curas esse, q̄ audis. Christia-
ni appellamur: Christo dignā
agamus vitā. Spirituales no-
minamur: Spiritu vivamus
& opera carnis mortificemus.
Coniūgamus vota, cōmiscēa-
mus gemitus, ut implorato &
impetrato S. sancti auxilio ma-
limus esse, quam videri boni.
Plurimum enim, ait ille, qui
sis, non qui habearis intereēt.
Utrunque, inquam, coniun-
ctis viribus id agamus, ut
quales haberi volumus, ta-
les coram Deo simus. Id au-
tem egerimus, ubi scientiam
cum caritate, veritatem cum

pietate & sanctitate vita con-
 iungentes, vitam vere Chri-
 stianam egerimus. Certe Deus
 sanctus est, & nos illius serui;
 sanctificari nos necesse est, cum
 eo ut uniamur. Dei sumus;
 non modo ipsi mori, sed & vi-
 uere debemus. Nostri iuris nō
 sumus; quid igitur ratio, vo-
 luntasq; nostra dominetur in
 consiliis & actionibus nostris?
 Ad Deum tanquam solum &
 legitimum finem omnibus vi-
 tae nostrae partibus contenda-
 mus, ad voluntatem Domi-
 ni respiciamus. Sumus uterq;
 in Ecclesia, ciuitate Dei san-
 cta, quam sibi Deus sanctus

DEDICATORIA

consecrauit, hanc impuritate
nostra profanare nefas duca-
mus. Christus, per quē ingra-
tiā cum Deo redimus, propo-
sitū nobis est exemplar: huius
formā in vita nostra actionib.
exprimamus. Deus patrem se
nobis exhibuit: profecto ingra-
ti nimium sumus, nisi nos illi
vicissim filios exhibeam. Chri-
stus nos sanguinis sui lauacro
mūdauit, pudeat nos nouis cō-
taminare sordibus. Idem nos
mystico corpori suo inseruit;
Cauemus mēbra, ne corpore
excidamus, aut nobis labem
aspergamus pudendā. Spiritus
sanctus nos templa Deo sancto

(:) 5

dedicauit: dabimus operam,
ut Deo in nobis habitante, sic
luceat lux nostra corā homi-
nibus, ut homines videant o-
pera nostra bona, & glorifice-
tur pater cælestis. Angelos
Dei custodes & vigiles habe-
mus: ne turpi peccatorū fæto-
re eos a nobis profligemus. A-
nima nostra & corpus cælesti
immortalitati & glorie sunt
destinata: Enit amur strenue,
ut ipsa pura & incorrupta in
diem usq; Domini nostri Iesu
Christi conseruentur. Quid
ergo nobis faciendum? Ani-
mo non malo, in mutuā nostri
in Christo exædificationē, hoc

Chri-

DEDICATORIA

*Cristiane Pietatis & Carita-
tis Incēdium, ex optimis qui-
busq; auctorib. apicula instar
delibavi, & conformavi, ut
inuicem fraterne nos excitan-
tes & inflammantes per vi-
am salutaris conuersionis, &
sanctæ iustitiæ ad veram vi-
tæ æternæ felicitatem deduce-
remur. Accipietis hoc a me in-
digno vestro ministro, fronte
serena; legetis mecum animo
Christianæ sanctimonie stu-
dioso; Vadat mecum & vo-
biscum per omnes vitæ nostræ
partes; Vosque vestra salu-
tis studiosissimi serui conati-
bus ad Dei gloriã tendentibus*

EPISTOLA

animo beneuolo fauebitis. Agite itaq; mecū, o viri reuerendi, fratres dilecti ingrediamur viam veræ felicitatis per conuersionem & iustitiam, ne deficiamus in via, tentationum difficultate & onere, sed progrediamur continuo continētia & obedientia studio adiustitiam, & per iustitie sanctitatem, ad aterna vitæ gloriã. In primis vero nauemus operam, ut ipsi nos abnegare discamus. O quam arduum & difficile est hominem a seipso discedere, sui obliuisci, & omnem animæ vim applicare ad Domini obsequium! Quã

insua-

DEDICATORIA.

in suaue homini mūdano non
querere que sua sunt, sed que
ex Domini sunt voluntate, &
facere omnia ad Dei promo-
uendam gloriam! Nos ipsi
abnegantes Crucem a Deo no-
bis impositam patienter tole-
remus, ut Christo conformes
fiamus, & humiliati infirmi-
tatem nostram agnoscamus,
Deique gratiam & opem im-
ploremus. Anobis ubi disces-
simus, proximos nostros ne
negligamus, sed potius honore
præueniamus, & procurandis
eorum commodis totos nos bo-
na fide impendamus. Ano-
bis & proximis, adeoque ab

EPISTOLA

hominibus, omnib. ad Deum
 nostrum conuertamus oculos,
 eiusq; arbitrio nos nostraque
 omnia resignantes, subiugan-
 dos animorū nostrorū affect.
 illi tradamus. Prosperere si quid
 accidit, Deo, non nobis, adscri-
 bamus. Si quid nō satis ex vo-
 to succedit, impatientia ne
 frangamur. Mali vero si
 quid euenit, non propterea nos
 miseros reputemus, nec de no-
 stra sorte cum Deo expostu-
 lemus. Facit Opt. Max.
 Deus per Spiritum sanctum
 in corde vestro & meo effica-
 citer operantem, ut acri indu-
 stria viam veritatis & cari-
 tatis

tatis

DEDICATORIA.

tatis inquiramus: ad Deū patre
trē nostrum peruenire anhele-
mus: viā illam cognitā &
inuentā grato & gaudio a-
nimo ingrediamur, &ambu-
lemus sancte: vanitatem &
inconstantiam fugientes ca-
ueamus, ne retrocedamus, ne-
ue declinemus, vel ad dex-
tram, vel ad sinistram. Ipse
Deus Miserator & sanctifi-
cator componat in usu rerum
terrestrium vite nostre ra-
tiones, ut quam minimum
nobis indulgeamus, atq; mun-
do utamur, ac si nō uteremur.
Non minus placide penuriā,
quā moderate abundantiam

EPISTOLA

ferre discamus. Luxuriam
nobis mirifice nocentem coer-
ceamus, ne ex adiumentis fa-
ciamus vitæ impedimenta.
Meminerimus res terrenas in
commodū nostrum Dei gra-
tuita benevolentia destinatas
esse, ut sint velut deposita, quo-
rum sit olim Deo reddenda
ratio. In cunctis vitæ nostræ
actionibus in vocationē, qua
Deus nos speciatim vocavit,
sollicite intueamur, ut ea aga-
mus, quæ illius sunt, nec ab ea
aliena affectemur. Deo deniq;
æternus pater, ut immundū
mundum & quæ mundi sunt,
contemnamus, & sicut decet,

futuram

EPISTOLA DEDICATORIA.

futuram in cœlestibus vitam
coronamque immarcescibilem
meditemur. Hac vobis, Reue-
rendi viri & fratres, & mihi
ex animo precor; quæ si mea
vota, & studia vobis non o-
mnino ingrata fuisse intellexe-
ro, magnum satis ac uberem
fructum libelli mei percepisse
videbor, & vero ad maiora
forsan vobis prestanda exci-
tabor. Dominus Iesus vobis
singulis et uniuersis benedicat
abunde de cœlo. Valete &
vivite quam felicissime. Sta-
de dabam. Idibus Octob. anno
Christiano 1604.

(:) (:)



Seneca Epistola CXVI.

Nimis, inquiunt, dura praecipitis. Nos homunciones sumus, omnia negare nobis non possumus. Respondit: Vitia nostra, quia amamus, defendimus: Et malum excusare illa, quam excutere: Nolle in causa est, non posse praeteditur.

Epictetus libr. III. Dissert. cap. XXXI. De Cyn. Diog.

Non habeo satellites, gladios, pompam, siue terribulamenta externa. Eorum loco **BONA CONSCIENTIA** dat fiduciam mihi & potestatem. Honesti amore, illud sine lege

&

Et pœna colo. Ceteri parietibus, ianuis, velis teguntur. Ego sub dio, in pro patulo ago, omnium oculis Et inquisitioni expositus, Deo me probo. Atque hæc cum facio, euenit ut male audiam, imo vapulem: quid mirũ a pueris Et fatuis, Et qui tangi ulcera sua nolũt? Ego vero affectum aut curam non muto, aut mitto: Eos ipsos, qui verberant diligo, tãquam frater.

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.]

AR
RAR
NO
IG
vitor
leno
mes g
profere



CARA PIETAS

ET

RARA CARITAS:

CVIVS

INCENDIVM

AD

FRIGVS EIVS EX

*multorum animis dispel-
lendum, excitatur.*

*Ad omnes quotquot IESV CHRISTI no-
men profitentur, & numen eius inuocant, pro-
loquium sententiosum.*



CIRE & viuere, o Chri-
stiani, desideramus o-
mnes: SCIRE primum
discamus, vt utiliter
sciamus.

Scire.

A

26

*No qui multa quidē, sed qui scit cōmoda vite,
Is dici sapiens, cur mereatur, habet.*

M V L T V M huic seculo scientiæ,
conscientiæ parum. Ne igitur scien-
tia nostra sit sola, quia inflat: adsit ei
C A R I T A S cum prudentia Christi-
ana. Sciamus Deum, & nos ipsi. At ho-
die multi multa sciunt, se autem vix
vllus bene. Etenim noscere seipsum
omnium difficilimum & non est cu-
iusuis. Diuinum igitur hoc, & primū
discamus præceptū, vt noscat quis-
que seipsum. S E I P S V M quippe qui
nouit, Deum noscet: qui Deum no-
uit, Deo fiet similis. Sed Deo fit simi-
lis, qui Deo dignus fuerit. Fit autem
dignus Deo, qui nihil committit in-
dignum Deo, sed & cogitat res diui-
nas: & quæ cogitat, loquitur: Et quæ
loquitur, pie facit. Ergo.

Cetera si vis noscere, te ipsum noscere discas.

Cetera si vis vincere, te ipsum vincere discas:

Noscere seipsū, vincere seipsam maxima virtus

Viuerē.

V I V A M V S vero, o Christiani, vt
cum Christo viuamus. Hæc quidem
vita, non propter se, sed propter alte-

rain

ram, ad quam aditus per mortis ia-
nuam. Vt autē semper, & cum Chri-
sto viuamus, bene & viuere & mori
discamus. Bene viuere discimus con-
mentando mortem. Bene mori dis-
cimus, sancte viuendo. Sancte viuere
discemus, beate moriendo. Vita hu-
ius finis, mors beata fit: mortis finis
vita beata. Bene beateq; vixerimus,
si nobis Mundoque mortui fueri-
mus. Ergo

Vive diu, sed vive Deo: Nam viuere mundo;

Mortis opus, vna est, viuere, vita, Deo.

Vive, sed ut semper viuas: Sic ergo beatus

Vive Deo: moritur, qui sibi viuit, homo.

NEQUE proinde, quamdiu, sed
quā bene viuamus, cogitemus. Diu
vixit, qui paucis annis multa talenta
lucrifecit bene viuendo. Vt enim sa-
tis vixeris, non anni & dies faciunt,
sed animus. Non viuit is, cui nihil in
mentē, nisi vt viuat. Qui nihil habet
in vita iucundius vita, is cum virtute
vitam non potest colere.

Sæpe igitur, qui diu vixit, parum

Augusti.

*Nicol us
Reuf*

vixit, quia bene non vixit: sæpe item est bene viuere, non diu viuere. Male viuunt, qui se semper victuros putant. Molestum nobis sit vitã semper ordiri, male quippe viuunt, qui semper viuere incipiunt.

Ah, credite mihi, multi ante viuere defierunt, quã inciperent. Quare cogitemus sedulo non rã quanta, quam qualis vita nostra. Non enim viuere, sed bene viuere melius.

*Non est (crede mihi) sapientis dicere; viuam:
Sera nimis vita est crastina; viuere hodie.*

Ergo o homo, Scire & viuere
INCIPE, NE DEFICE,
SED PROFICE.

Meta.

I. Proposita tibi **META** est,
*Vita aeterna in cælo, summa perpetuaq;
beatitudo.*

Bonam partẽ elige, cum matre Domini, que non auferetur a te, *Luc. 10.* Reconde tibi thesauros in cælo, vbi neq; ærugo, neq; tinea, quicquam corrumpit, & vbi fures, neque perfodiunt, neq; furantur. *Matth. 6*
Et Deus tibi vincenti dabit comedere de li.

gno

gno vitæ quod est in medio paradisi Dei.

Hæc meta vitæ, hæc vita vera, ad hanc contende, hinc exulat omne malū, hic abundat bonū summum.

1. AB OMNI malo liberatus, requiesces a laboribus tuis, *Apoc. 14.* abstergetque Dominus omnem lacrymā ab oculis tuis: non erit amplius mors, non luctus, non clamor, non dolor, *Apoc. 21.*

2. IVCVNDISSIMA cum Deo tuo conditore, conseruatore, redemptore, & sanctificatore, frueris consuetudine, quē facie ad faciem intuens, summa cum lætitia in ea acquiesces, qui erit omnia in omnibus, *1. Cor. 15.* Cum Christo specioso præ filiis hominum eris, & videbis gloriam eius, quam dedit ipsi pater, *Ioan. 12.*

3. IMAGINEM cœlestis hominis gestabis, *1. Cor. 15.* Et reuelata facie gloriam Dei specularis in eandem imaginem transformaberis, a claritate in claritatē, *2. Cor. 3.* Ibi tibi veniet, quod perfectū est, aolebitur, quod

ex parte, seu imperfectū est. Cognoscesque, sicuti ipse cognitus es. *1. Cor. 13.* fulgebis vt sol in regno patris tui, *Mat. 13.* Eris sicut angeli Dei in cœlis, & filii Dei sunt. *Luc. 20.* Similis eris ipsi tibi apparenti Deo *1. Ioan. 3.*

4 AGGREGABERIS sanctorum angelorum concilio, fideliumq; cœlesti cœtui, qui conscripti sunt in cœlis. *Heb. 12.* ibi mutua cognitio, perfectio, dilectio, perpetua Dei celebratio.

5 Perfunderis gaudio & exultabis sine tædio, in hereditate immortali, incontaminabili & immarcescibili *1. Pet. 1.* gaudio ineffabili. Tibi se diligenti, præparauit in cœlesti paradiso Deus, quæ oculus nō vidit, auris non audiuit, & in cor hominis non ascenderunt.

ii. Ad hanc vitæ metā Via tibi monstrata est.

i. EGO, inquit Seruator tuus Iesus Christus, sum via illa, veritas illa, &

vita

Via ad
metam.

vita illa, nemo venit ad patrem nisi per me. *Ioan. 14.*

2 Hæc est voluntas eius, qui misit me, *Inquit idem*, vt omnis, qui videt filium, & qui CREDIT in eum, habeat vitam æternam. *Ioan. 6.*

3 Per multas TRIBVLATIONES oportet nos ingredi in regnum cœlorum. *Act. 14.*

VIA hæc vitæ iustorum bona, sancta, recta, immaculata & electa est.

ANGVSTA porta, & stricta via est, *Mat. 7.* humanæ rationi ignota; per Christum ad vitã vnicus aditus: pauci hanc ingrediuntur rarosq; habet viatores; ingrata & difficilis est carni propter crucem, & sui abnegationẽ, quas habet comites.

Via hæc DEI est interim, quam Deus tibi proponit, quæ Deo placet, quam Deus dirigit, quæ ad Deũ ducit. Cognosces Viam hanc intellectu Doctrinæ sacræ vsu confirmato; Spiritus sancti institutione & illuminatione; Experientia, qua Deum ipsum

in te operantem perlentilces; Ipta
deniq; praxi & virtute dum viã hanc
ingressus in ea ambulando progres-
sus fueris.



MEMBRVM PRIMVM.

INCIPE



NGREDERE, Ohomo.
Viam & circumspice,
vbinam illa bona via
sit, in ea incede, *Jerem. 6.*
INCIPE, est vita, est via ad vitam, ar-
de desiderio veniendi ad patrem tu-
um Deũ: Propendeat animus tuus
non ad mundum & Satanam, sed ad
Deum, a quo es auersus.

INGRESSUS FIT CONVER-
SIONE.

Conuersio fit AVERSIONE a ma-
lo malorum pessimo, & REVERSIO-
NE ad bonum honorum optimum.
I. AVERTERE igitur a malo malo-
rum pessimo, quod est PECCA-
TVM.

Jerem.

*Incipe &
ingredere
viam ad
Metam
Salutis,*

*Ingressus
per cõuer-
sionem
I. Aversio
nem a ma-
lo.*

Jerem. 25. *Auertimini unusquisq; a via sua mala & pessimis studiis vestris.*

CONSIDERA PECCATOR STATVM TVVM IN PECCATIS TUIS.

1. Peccatum tuum te a Deo auertit, & a te Deum, quem tibi grauissime infensum, & cui te summe inimicum constituit.

Quid grauius, Deum aduersum se sibi habere & sentire inimicum.

2 Dignus efficeris, qui propter peccatum a Deo destituaris, & quodammodo NIHIL efficiaris, ad extremam simul inopiam Spiritus redactus. Dei nimirum gratia & gloria priuatus.

Absq; Ente & bono summo esse, est aut male, aut nihil esse.

3 Peccatum te hominem facit amicum Diaboli, imo vero seruum eius & mancipium, ac proinde Gehennæ ignis heredem. *Aug.* Unusquisq; peccando animam suam Diabolo vendit, accepto tanquã pretio dulcedine temporalis voluptatis. Angelum itaq; vitæ tuæ custodẽ, quantũ in te est, a te peccando abigis. *Basil.*

4 Peccatũ res est fœdissima, &, vt Scriptura loquitur, volutabrum luti, fex, putredo, corruptio. Vide Prodigũ in cœno luxuriæ volutatum inter porcorum greges. Putruc-

I.
ut auer-
taris con-
sidera mi-
seriam
ex pecca-
to.

runt etiã ac corruptæ sunt cicatrices sordidorum peccatorum tuorum.

5 Si in peccato confensces, diram in te peccatorem exercebit peccatum tyrannidẽ, & per peccatum Dæmon, idq; ne resipiscas, etiamsi id aliquando desideres. Barbarum est enim peccatum, ait *Chrysoſt.* & tyrannidem exercet in animam semel captam, sed in perniciem eorum, qui ipsum suscipiunt. Audi *lib. 8. confess.* confitentem Augustinum: *Suspirabam ligatus non ferro alieno, sed mea ferrea voluntate. Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat & constrinxerat me: Contendebam mecum & dissipabar a me ipso.*

6 Dum in peccatis permanes, reatum sustines æterni supplicii, hoc est, perpetuo priuaris diuina visione, & ignis ardentissimi sempiterno cruciatu torqueris.

Recognosce itaq; mecum statum peccatoris; Hostis es Dei sine Dei gratia, egētissimus, inquinatissimus, diaboli mancipium, tyrannide peccati & diaboli oppressus, & heres inferni. Auerte itaq; a malo hoc pessimo.

2 opẽ im
plora diu
nam.

7 Ut autem conuertaris, a malo auersus, ad bonum reuersus: diuinæ gratiæ, quæ te præueniat, comitetur,

&

& subsequatur, ope tibi opus est. Deus enim dat poenitentiam ad agnoscendum veritatem, vt resipiscant e diaboli laqueo, capti ab eo ad ipsius voluntatem.

2. Tim. 2. *Deus est, qui operatur velle & perficere.* Phil. 2. *Dicitur itaq; cum Ierem. cap. 31* *Conuerte me Domine & conuertar; postquam conuertisti me, egi poenitentiam.*

Gratia autem Dei, ait Prosper *lib. 2. de voc. gent.* omnibus iustificationibus principaliter praeminet, SVADENDO exhortationib. MONENDO exemplis; TERRENDO periculis; INCITANDO miraculis; DANDO intellectum; INSPIRANDO consilium; Cor ipsum illuminando; & fidei affectionibus imbuendo.

II. Dei vero gratia vtitur in hominis a malo auersione.

1. Peccati cognitione,
2. Animi consternatione.

1. COGNITIONEM peccatorum tuorum cōsequi poteris ex lege Dei
Per legem est cognitio peccati. Rom. 3.
 Est enim Lex Dei regula iustitiæ.

3. Peccatū
 tuum ag-
 nosce.

2. Ex lege.

quæ monstrat, quid iustum, quid iniustum sit. Quicquid igitur vel est in nobis, vel fit a nobis, quod non congruit cū regula diuinæ legis, sit peccatum.

Examinando vitam tuam ad legis regulam.

Ad hanc regulam vitam & actiones tuas interiores & exteriores explora, indeq; iudica de factis tuis, & ne fallaris errore, in usu huius regulæ duo hæc obleruato.

1. Reg.

1. *Quicquid aduersatur caritati Dei, & caritati proximi, prohibetur lege Dei, & pugnat cum regula Iustitiæ. Et contra: Quicquid congruit cum caritate Dei & proximi, lege præcipitur; Et si expressis verbis non videatur præceptum aut interdictum.*

2. Reg.

2. *Lex est Spiritualis. ut quæ postulat puram, perpetuam, perfectam, & spiritua-lem obedientiam. Vnde intelliges: Omnes homines esse reos coram Dei tribunali, ut transgressores sanctissimæ eius legis.*

2. Ex eius generatione.

En igitur peccatorem te agnosces: Deinde Cognosce, quomodo peccatū

in

in corde formerur & in opere consummetur. *Gregorius lib. 4. moral.*

1. Quatuor modis perpetratur in corde, *suggestione, delectatione, consensu, & defensionis audacia.*

Fit enim suggestio per aduersariū. Delectatio per carnem, consensus per voluntatem, defensionis audacia per elationem. Culpa enim, quæ terrore mētem deiicit, extollit, & deiiciendo eleuat, sed grauius eleuando supplantat.

2. Quatuor item modis peccatum consummatur in opere. Prius namq; latens culpa agitur: postmodum vero ante oculos hominū sine cōfusione reatus aperitur: dehinc in consuetudinem deducitur: ad extremū veræ, vel falsæ spei seductionibus, vel obstinatione miseræ desperationis enutritur.

DENIQVE, cognosce, o peccator, *immanissimam peccati atrocitatem.*

1. Peccatum enim est iniuria Deo illata a peccatore, contemptio summæ

1.

2. 3.

4.

1.

2.

3.

4.

3. Ex atrocitate eius.

maiestatis eius, dum illius voluntatem spernit præ amore sui & creaturarum: rebellio quædam & apostasia a Deo est.

2 *Peccatum est pondus grauiissimum hominem trahens ac deprimens ad quæque vilia, abiecta, nefaria.*

3 *Peccatū est precipitium, quo peccator, ni resipiscat statim, in alia grauiora scelera se continuo præcipitat.*

4 *Peccatum est Satana regnū & tyrannis immanissima.*

5 *Peccatum nostris virib. est omnino inexpiabile, adeo vt necesse fuerit pro eo filium Dei hominem factum crucifigi & mori.*

4. Cogni-
to conster-
to constar-
nator &
compun-
gitor.

2 *Peccati cognitionē excipit Ani-
mi CONSTERNATIO ob peccata ad-
missa dolētis, & ad irā Dei aliasq; pœ-
nas peccatis promeritas expauescē-
tis. Hinc dices cum Dauide Psal. 88.
In me transierunt iræ tuæ & terrores tui
conturbauerunt me. Et Psal. 38. Iniqui-
tes meæ supergressæ sunt caput meum, &
sicut onus graue grauata sunt super me.*

Hæc

Hæc animi conternatio, dolor,
& diuinæ iræ sensus crescit in te.

1. Si cogites de lege lata primis nostris patribus in paradiso. Quocunque die comederis de arbore ista, morte morieris.

3. Si fulmen illud Dei in monte Sina projectum recognoscas: Maledictus omnis, qui non permanferit in omnibus quæ scripta sunt, &c.

3. Si spectas Cheirographum Conscientiæ tuæ in corde tuo testantis tum de peccato, tum de damnatoria sententia lata a Deo.

4. Si videris signa iræ diuinæ, siue ea, quæ tunc minantur, tunc puniunt, ut pestis &c. siue ea, quæ imminentes, poenas quasi prædicunt

Hinc Timor & Dolor.

TIMOR Bernhardo est triplex.

1. *Ne cruciemur in Gehenna.*

2. *Ne exclusa visione Dei tam inestimabili gloria priuemur.*

3. *Ne forte deseramur a Dei gratia.*

Hunc timorem ita suscitatur in corde Bernh.

Pensa cuius sit formidinis & horroris tuum atque omnium contempsisse factorem, offendisse Dominum Maiestatis. Maiestatis est timeri, Domini est timeri, & maxime huius Maiestatis, huius Domini. Ille ille timendus est, qui postquam occiderit, habet potestatem precipuandi

*Vt cõster-
neris hæc
cogita.*

Timor

excitetur.

*Serm. 16.
in Cant.
Cant.*

in Gehennam. Paueo Gehennam paueo iudicis vultum, ipsis quoque tremendum angelicis potestibus. Contremisco ab ira potentis, a facie frigoris eius, a fragore ruentis mundi, a coflagratione elementorum, a tempestate valida, a voce Archangeli & a verbo aspero. Contremisco a dentibus bestiae infernalis, a ventre inferni, a rugientibus preparatis ad escam. Horreo vermē rodentem & ignem torrentem, fumū, vaporē, sulphur & spiritum procellarum: horreo tenebras exteriores. Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, ut preueniam fletibus fletum, & stridorē dentium, & manuum pedumq; dura vincula, & pondus catenarum prementiu, stringentium, vrentiu nec consumentium? Heu mater mea, ut quid me genuisti filium doloris, filium amaritudinis, indignationis & plorationis aeterna?

Dolor duplex.

i. propter
paenam.

Efficiens.

DOLOR est compūctionis, qui monstrata peccati magnitudine mentē peccatoris afficit. Estque duplex:

i. Dolor primus est propter paenam peccati, qui 2. Cor. 7. vocatur dolor mundi. Itē dolor, qui est ad mortē. Huius efficiens est etiam Spiritus sanctus; qui Rom. 8. dicitur spiritus seruitutis ad meū, hoc est, qui testatur nobis de seruitu ac misera extra Christum cō-

ditione

ditione nostra, ac proinde metum
ac horrores incutit.

Instrumentum autem, per quod
operatur Spiritus in cordib. nostris
hunc dolorem, est legis prædicatio,
cuius est compendium in hoc Syllo-
gismo: *Maledictus, qui non manserit in*
omnib. quæ scripta sunt in libro legis hu-
ius, ut faciat ea. Hinc consciëntia assu-
mit: *At ego non mansi in eis.* Et conclu-
dit: *Ergo ego sum maledictus.*

Hinc dolor ille, vel potius horror
cordis, non tam propter peccatum,
quod est in assumptione; quam pro-
pter pœnam maledictionis, quæ est
in cõclusionem. Hic dolor, qui est ex
lege, nisi interueniret Euangelii gra-
tia, hominem in desperationem a-
geret.

2 DOLOR *secundus* est propter ipsum
peccatum, & offensum Deũ, qui ab
Apostolo vocatur *dolor secundum Deũ.*

Huius *efficiens* est idẽ ille Dei spiri-
tus, qui iam euadit spiritus adoptionis,

2. Organũ

Syllogis-
mus.II. Dolor
propter
peccatum.

1. efficiens

B

per quem clamamus Abba, pater.
Rom. 8.

Hic dilatat guttur & os nostrū ad
Deum familiariter inuocandū tan-
quam patrem nostrum.

3. Organū

Syllogis-
mus.

Instrumentum, per quod operatur
Spiritus in cordib. nostris hunc do-
lorē, est Euangelii prædicatio, cuius
est summa in hoc *Syllogismo*. *Qui cre-
diderit, iustificabitur & uiuet.*

Hinc assumit fides, (de qua postea)
*At ego credo, & concludit: Ergo Iusti-
ficor & uiuam.* In hac conclusione est
quidem materia ineffabilis gaudii,
sed simul in eadem est materia dolo-
ris, qui cognita iam tanta Dei mise-
ricordia concipitur propter offen-
sum tam misericordem patrem.

De hoc dolore idem *Bernhardus*
Ibidem.

*Cogitantem, quod patrem offenderim, est cer-
te cuius me pudeat. Et si nō quod terreat. Volun-
tarie genuit me verbo veritatis. Nō pepercit v-
nigenito pro sic genito. Ita ipse quidem patrē ex-
hibuit mihi, sed non ego vicissim me illi filium.*

Qua

Quanam fronte attollo iam oculos ad vultū patris tam boni, tām malus filius? pudet indigna gessisse genere meo, pudet tanto patri vixisse de genere. Exitus aquarum deducite oculi mei; operiat confusio faciem meam: vultum meū pudor suffundat, occipereq; caligo: deficiat in dolore vita mea, & anni mei in gemitib; prob pudor, quē fructum habui, in quibus nunc erubesco? Si in carne seminavi, de carne non metam nisi corruptionem: si in mundo, & ipse transiit, & concupiscentia eius. Quid? caduca & vana, quorum finis mors est, infelix ego preferre non erubui aeterni patris amoris & honoris. Confundor, confundor audire: Si ego pater, ubi est honor meus? &c.

II. Aversus a malo pessimo, peccato, REVERTERE ad summum bonum, Deum tuum, quem dereliquisti.

Specula & intuerere Deum, qui te vocat, ad quem recurrendum.

Est Ens completum, absolutum, per se, summum, maxime actuolum, perfectissimum, simplicissimū, ideoque diuinum, æternum ante omnia. In omnibus, post omnia: summe vnū

Revertere
II. Cōvertere per
Reversionem ad
Deum.

Meditare
Deum.

intra omnia, non inclusum: Extra omnia non exclusum; supra omnia non elatū; infra omnia non prostratum. Ad hoc Ens reuertere.

SUMMUM bonum est, maxime actuale, liberale, indeficiens & perfectum. In hoc omnis bonitas essentialiter & supereminenter inuenitur: Ex hoc in omnia creata absq; sui diminutione omnis bonitas deriuatur & conseruatur: Huic per fidē & caritatem inhærendo boni & beati fiunt omnes sancti, quos communicatione & participatione sue bonitatis satiat, & vbertate inebriat. Ad hoc summum & pulcerrimum bonum, vt a malo liberatus, boni fias particeps, reuertere.

per Fidem

REVERTERIS autem per Fidem & animi fiduciam in misericordia Dei patris, & Iesu Christo eiusque merito penitus acquiescentem.

qua

Miranda hæc & supernaturalis fa-

cultas

cultas est cordis, Christum a spiritu sancto applicatum apprehēdentis & ad se recipientis.

Hinc interna cordis efficax persuasio ex efficaci (vt ita loquar) certioratione Spiritus sancti de misericordia Dei patris in Christo.

Ioan. 6. *Amen Amen dico vobis, qui credit in me, habet vitam aeternam.* Act. 16. *Crede in Dominum Iesum, & saluus eris.* Eph. 3. *Per Christum habemus aditum cum fiducia.* Eph. 1. *In quo sperastis & vos audito sermone veritatis, id est, Euangelio salutis nostrae. In quo etiam posteaquam credidistis obsignati estis spiritu promissionis sancti,* Rom. 8. *Qui ipse spiritus testatur vna cum nostro spiritu, nos esse filios Dei.*

Vt autem Fides hæc, quæ donum Dei gratiosum, nec est omnium, in corde tuo oriatur,

PRIMO dabis operam veræ cognitioni Euangelii per illuminationē spiritus sancti consequendæ.

Ies. 53. *Servus meus iustus, notitia sui, iustificabit multos.*

Incumbes autem attentæ considerationi promissionum Euangelii ex in-

Oritur
præctice

2. Ex E
uangelii
notitia.

Eius igitur audi-
tione &
meditati-
one.

nino sentu inopiæ tuæ, vnde præbe-
bis assensum audito Euangelio, ne sis
ex illis, quib. non profuit auditus ser-
mo, vt qui fidei non fuerat mixtus i-
pſis, qui audierant. *Heb. 4.* Vult enim
Deus omnes seruari, & ad agnitionē
veritatis peruenire.

2. Spe ve-
nia.

*Secundo concipies spem venia, qua
etsi non dum senties remissum esse
peccatum, remissibile tamē esse cre-
des. Cū filio dices prodigo, Lucæ 15.
Surgens proficiscar ad patrem meum, &
dicam ei, pater peccavi in cælum & aduer-
sum te. Neq; amplius sum dignus vocari
filius tuus: Fac me vt vnum ex mercena-
riis tuis.*

3. Esurie
& appeti-
tione gra-
tia.

*Tertio percipies esuriam, vehemen-
tē ue appetitionem gratiæ eius, quæ ti-
bi offertur in Christo Iesu: adeoque
potes, vt ille, qui est α & ω , initium &
finis tibi sitiēti det ex fonte aquæ vi-
uæ gratis. Eo progressum te beatum
æstimat Christus Mat. 5. Beati, inquit,
qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniā
ipsi saturabuntur.*

Quarto

Quarto accedes ad thronum gratia, ut apprehēso ibidem Christo inuenias misericordiam apud patrem. Cum fiducia vero accede, & inuenies gratiam ad oportunū auxilium. Heb. 4.

In hoc vero accessu duo præstabis:

Primo humiliter, pure, & fideliter Confiteberis peccata tua, in genere & in specie: Et hanc sequetur remissio peccatorum coram Deo.

Psal. 32. *Peccatum meum notum faciam tibi, & iniquitatem meam non tegam (inquebam) Confitebor defectiones meas Iehonae; & tu sustulisti pœnam peccati mei. Dic itaque cum filio prodigo: Pater peccavi in cœlum & aduersum te, neq; amplius sum dignus vocari filius tuus.*

Secundo deprecaberis pro remissione peccatorum tuorum, cum gemitibus inexplicabilibus, & cum perseverantia. Rom. 8. *Iudem autem & spiritus vna subleuat infirmitates nostras. Quid enim precemur, ut oportet, non nouimus: sed ipse spiritus interpellat pro nobis.*

Quinto deniq; certa & specialis persuasio efficaci sensu a spiritu sancto impri-

4. Acces-
su ad thro-
num gra-
tia,
hoc est,

1. Confes-
sione pec-
catorum,

2. Depre-
catione
pro remis-
sione.

3. Speciali
persuasio-
ne.

metur cordi tuo, qua promissiones
Euangelicas tibi ipse speciatiim ap-
plicabis. Christus etiam tibi interno
affatu dicet: *Confide fili, remissa sunt ti-
bi peccata tua.*

Fac itaque, o homo, qui ad Deū
reuerteris, vt assensionem præbeas
verbo Dei, & resistas dubitationi ac
diffidentia, postea sequetur in te ex-
perientia & sensus lætitiæ.

*DAVIDICAE PRAXEOS
exemplar.*

Pœnitentiam agens David post
lapsum suum *cognitioni peccati* sui de-
dit primum locum.

*Miserere, inquit, mei Deus secundum ma-
gnam misericordiam tuam.* Super hunc Psal-
mum Gregor. *Desperarem de vulnere, si non
presumerem de omnipotente. Querant paruum
misericordiam, qui ignoranter contrahunt cul-
pam: Ego autem sicut grauiter cecidi, ita etiam
granditer peccaui. Sed tu omnipotens Medice,
& contemptores corrigis & nescientes instruis,
& confitentibus ignoscis.*

Iniquitatem ego meam cognosco & pec-

catum meum contra me est semper. *Adest* (ait Greg.) *miser, adsit etiã misericordia. Misericordiam meam cognosco: nisi me miserum agnoscerem gemendo non laborarem.*

1. *Cognosco me mea sponte & pessima voluntate peccasse, ideo iustitiam meam non abscondo.*

2. *Cognosco unde ceciderim & quid incurrerim.*

3. *Cognosco, cui me mancipauerim peccando, Diabolo scilicet omnis boni hosti.*

4. *Cognosco maculam, quam contraxi peccando, & sordes, quibus me horrendum foedavi. Idcirco dele, queso, iniquitatem, & amplius laua me a peccata meo.*

5. *Cognosco me tibi soli peccasse, & malum coram te fecisse.*

1. *Tibi, inquam, Creatori, cui ego infelix creatura non seruiui, sed creaturæ potius quam creatori adhæsi.*

2. *Tibi Domino, cui perditissimus seruus rebellauit, vt obsequerer inimicis tuis,*

3. *Tibi legislatori, cuius voluntatem, quam sequi debebam, turpiter spreui, & vt cupiditatib. meis indulgerem, tuas leges sum transgressus.*

4. *Tibi parenti optimo, cuius beneficiis innumerabilibus ingratus filius tamdiu existi, imo illis incrassatus & impingua-*

tus aduersuste patrem recalcitraui; Tui amoris oblitus creaturarum & mei ipsius illicito amori dedi operam.

5. Tibi deniq; *Deo meo optimo*, potentissimo, iustissimo peccaui, dum a te discessi, a quo totus pendere, & in quo vno, tanquam in fine quiescere debebam.

II. *Cognitionem peccati excepit animi consternatio & timor*, qui animū eius propter peccatum inuasit.

Domine, inquit Psal. 6. *ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me.*

III. Hinc iniustus animo eius *dolor ingens*.

Psal. 38. *Iniquitates meae transcendunt caput meum, ut onus graue mihi grauioribus sunt, quam perferre queam. Putruerunt, contabuerunt tumores mei, propter stultitiam meam. Distorqueor, incuruor valde. Item. Cor meū palpitāt, dereliquit me virtus mea, &c. Cor contritum & humiliatum ne despicias, Psal. 51.*

IV. *Accedit Spes veniæ:*

Conuertere, inquit *Domine & eripe animam meam; saluum me fac propter misericordiam tuam: quoniam non est in morte, qui memorem sit tui. in inferno autē, quis confitebitur tibi?* Gregor. *Sicut anima mea conuersa est ad te per turbationem poenitudinis: ita tu conuerte-*

re ad

re ad eam per serenitatem miserationis, & conuersus eripe animam meam. Ad animam suam ait Psaltes Psal 42. *Quid deuicis te anima mea, & quid perstrepis in me? Spera in Deo, nam adhuc celebraturus sum eum.*

V Concepta spe veniæ fides Davidis compellet Deum, in eoque recumbit.

Psal. 25. *Deus mi, in te confido, ne pudefiam. Iehoua est salus mea, in te spero Iehoua, non confundar in eternum.*

VI. Hinc ex fide erumpit ab anima in cælum confessio.

Psal 32. *Dixi: Confitebor aduersum me defediones meas Iehoua, & tu sustulisti poenam peccati mei.* Psal. 38. *Dolor meus coram me iugiter, quandoquidem iniquitatem meam tibi indico, sollicitus de peccato meo.* Gregor. *Si quis peccata sua tecta esse desiderat, Deo ea per vocem confessionis ostendat.*

VII. Succedit emendationis propositum loco sexto:

Discedite a me omnes, qui operamini iniquitatem, quoniam exaudiuit Dominus vocem fletus mei. Psal 39. *Dixeram: Observabo vias meas, ne peccem lingua mea, &c.*

VIII. Tandem sensu letitiæ & pacis interioris exsultat.

Pfal. 103. *Benedic anima mea Iehoua, & ne obliuiscaris ullius beneficiorū eius: qui tibi condonat omnes iniquitates tuas, qui que medetur omnibus morbis tuis. Non in eternum litigat, neque in seculum iram asseruat, &c. Pfal. 116. Revertere anima mea in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi.*

Conuersio
recessu a
malo &
accessu ad
bonum im-
portat
mutatio-
nem.

Sic ergo disceditur a malo non sine dolore mali, hoc est, quin doleamus nos fuisse in malo: nec acceditur ad bonum, scilicet Deum sine fide in illum. Accedentem ad Deum oportet credere. Recessus autem ille a malo, & accessus ad bonum importat mutationem quandā, cuius est tum terminus a quo, tū terminus ad quem.

Mutatio ista est in mente, in voluntate, in corde.

I.
In mente
quomodo

I. *In mente est mutatio Iudicii & consilii.*

Mens malum illud quod perpetratum est improbat: bonum vero quod faciendum in posterum approbat.

2.
In volun-
tate quo-
modo.

II. *In voluntate mutatio est talis.*

Voluntas malum illud, quod hactenus perpetratum est, repudiat, siue ab

eo declinat: *bonum* vero faciendum in posterum *eligit*, siue ad id inclinatur.

III. *Mutatio* restat *cordis*, quæ ita perficitur.

Cor malum hætenus perpetratum odit & detestatur: *bonum* autem in posterum faciendum amat & prosequitur.

Ergo quiescite agere peruerse, & discite seu studete bene facere, Ies. 1. *Recede a malo, & fac bonum.* Psal. 34. *Abiice opera tenebrarum, & indue arma lucis. Ne ambules amplius secundum carnem, sed secundum spiritum,* ait Apostulus. Christus vero dicit; *Abnega te met ipse, & sequere me.* INCIPE igitur a malo auersus, ad bonum reuersus, edere fructus pœnitentiæ dignos, & studio Christianæ sanctimonix, seu nouæ obedientix incumbere.

1. *Obligaris ut creatura creatori tuo:* debitum gratitudinis sæpius expendas velim.

2. *Obligaris ut seruus domino. Si do-*

3.
In corde
quomodo.

Conclusio

Conuer-
sionis fru-
ctus eden-
di.

Causa.

minus ego sum, inquit Deus, ubi rumor meus.

3. *Obligaris* ut filius patri; Filius es creatione & regeneratione: Deum itaque tanquam patrem optimum cole.

4. *Obligaris*, ut gratus erga benefactorem: Dei in te sunt maxima beneficia: maxima itaq; ipsi debetur gratitudo.

*Qui fru-
ctus.*

Incipe itaq; sanctimoniam tuam, atque obedientiam Deo exhibere, *Diligendo Deum, & diligendo proximum.*

*I. Dilectio
Dei conce-
piatur.*

I. Dei dilectio. 1. *Concipiatur* in te ex notitia & consideratione paterni affectus, qui in Deo est erga te.

2. *Nascatur* ex fiducia Christi.

*Crescat.
Roboretur.*

3. *Crescat* per spiritum fidei.

4. *Roboretur* cogitatione cumuli beneficiorum Dei corporalium & spiritualium

*Cernatur
II. Dile-
ctio proxi-
mi.*

5. *Cernatur* inobedientia sub cruce, & in sanctitate vitæ.

II. Dilectionē proximi procuret & tueatur, Dei dilectio, Dei mandatum,

vinculum naturæ & gratiæ. Qui dicit se Deum diligere, & proximum suū odit, mendax est, & caritas Dei non est.

Incipe autem vtriusque sanctum studiū, vt testeris te a malo auersum, & ad Deum reuersum, Satanæ te renuntiasse, Deoquo te subiecisse: te esse socium castissimorum spirituum in cœlis: te esse socium omnium timentium nomen Dei in terra: te esse templū spiritus sancti, in quo holocaustum & thymiama offeruntur, & cornua altaris frondibus & floribus obedientiæ exornantur.

INCIPE HODIE,
*ne differ: longas tolle
moras.*

I. *Meditor tecum* Vitæ tuæ incertitudinem: Vigilandum profecto tibi & orandum; nescis enim neq; horam illam, neq; diem illum, quo venturus sit Dominus. Vide ne citius iusto obruaris Dei Iudicio.

1. ei⁹ caus
sa impell.

2. Fines.

Hodie incipe, ne procrastina.

Rationes has tecū expende.

2. *Noueris plurimorum scelerum, iræ Dei, & pœnatû thesaurum procraftinatione perniciosissima colligi, Rom. 2. Pro duritia tua & corde, q̄ resipiscere nescit, thesaurizas tibi ipsi iram in diem iræ, & patefactionis iusti iudicii Dei.*

3. *Terreat te sanctorum angelorum offensio: vt certe hi gaudēt peccatorû resipiscencia; ita haud dubie tristantur eorundem securitate peccata cumulante. Luc. 15.*

4. *Refer ad animum periculosam a Deo alienationem, quę fit peccatorum quotidiana facta accessione: Secreta insuper animi æstimatione pensa inductionem secuturã: quippe quo diutius differtur conuersio tua, eo redditur difficilior, Proverb. 22. Adolescens ambulans iuxta viã suam, etiã cum senuerit, non recedet ab ea. Noti illud: pœnitentia sera, raro vera.*

5. *Quantum poteris, caueas tibi animala conscientia, quam pariunt & alunt*

in re

inte peccandi consuetudo & continuatio. Mordacis cōscientiæ dolore nullus acerbior.

6. Quo diutius in veteri peccatorū luto hæseris, eo diutius te *optimo gaudio Spiritus sancti*, spiritualiumq; consolationum priuaueris.

7. *Delicias & voluptates* Satanæ hostis tui auxeris, in ueteratorum delictorum funem longius ubi traxeris. Recte dictum existima: *Peccata sunt delicia & epula diabolorum.*

8. Introspecte deniq; *in tragicos exitus omnium* diem: suæ conuersionis semper proferentium, intende mentē tuam in horrendas pœnas Sodomorum, Ægyptiorum, Iudæorum, Ecclesiarum Orientalium & aliorum impœnitentium.

Ne igitur tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem conuersionem: Subito enim venit ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te, *Eccles. 5.*

Hieron. ad Celant. *Asperam & insuauē*

*Excitant
te Patres
pii.*

C

virtutum viam, nimia facit vitiorū consuetudo.

Bernh. Postquam aliquod vitium multorū annorum consuetudine confirmatum est, particulari & quasi miraculoso diuine gratia opus est adiutorio, ad illud superandum & extirpandum.

Idem. Tu qui tecum tam iniquam inis rationem in mala & impia tua vita perseuerans, dic mihi: credis Dominum Deum peccata tua tibi condonaturum, aut non credis? Si credas te locum venia non inuenturum, quæ potest esse maior stultitia, quam peccare sine spe remissionis? Sin autem cogites eum & bonum & facilem & misericordem esse, qui etsi toties illum offenderis, paratus tamen est tibi peccata tua ignoscere, dic mihi, quæso, quæ maior potest esse peruersitas, quam occasionem amplius offendendi illum captare, ubi caussa est magis illum amandi?

August. Praueniendus est dies, qui prauenire consuevit.

Idem. Qui prius a peccatis relinquitur, quam ipse relinquat ea, non libere sed quasi ex necessitate condemnatur. Multos solet sero in a decipere pœnitentia.

Ambros. Nihil peccare solius Dei est, sapientis autem hominis est emendare & corrigere erratum, & de peccato agere pœnitentiam.

Cassiod. Malum, quo diutius perseuerat, eo magis augetur, medicabile autem bonum est in peccato accelerata correctio.

Aug.

Aug. Deus etsi poenitenti veniam sponpondit,
peccanti tamen crastinum diem non promisit.



MEMBRVM SECVNDVM.

NE DEFICE

nec REGREDERE.

Viam vitæ cognitam & inuentam
habes, ingressus es eam: cum gra-
tiarum actione eam ambules. Nemo
sola viæ cognitione ad finem illius
peruenit, nisi illam etiam ambulet:
Iniisti viam, sulceptum contende ite-
fide cordis, studio pietatis, & vera dilectio-
ne quotidie promptus ad Deum tuum ac-
cede, longiusque a Satana, mundo
& teipso discede.

Verum fugiens vanitatem & in-
constantiam caue ne deficias & re-
trocedas.

Isdem finibus tua poenitentia, quibus
vita terminatur.

Ne defice:
caue dese-
ctionem.

Tota vita

Christia-
nis homi-
nis est a-
ctio.

Pœnitētia
continua.

Augustinus. *Alterius (qua sequitur primā) pœnitētia actio per totam vitam, quam in carne mortali degim^{us}, perpetua supplicationis humilitatis subeunda est. PRIMO, quia vitam æternam incorruptibilem, immortalem que nullus desiderat, nisi eum vite huius temporalis, corruptibilis, mortalisq^{ue} pœniteat. DEINDE quamvis quisq^{ue} se gloriatur sic habere corpus edomitum, ut m^undo crucifixus, ab omni opere malo, in servitutem redacta membra castiget; intelligat tamē sibi omnia hæc prestita esse, nō a se exsistere. Non solum ergo propter ipsam mutabilitatem & ignorātiā, & propter dei malitiam, sed etiam propter ipsum pulverem mundi huius quotidianam debemus agere pœnitentiā.*

Exhorta-
rio.

Perpetua igitur hic tibi opus carnis tue mortificatione & spiritus vivificatione. Ne defice; perfer & obdura: labor hic tibi proderit olim.

Quo maior fueris, eo eris laboriosior: Satanæ ereptus, Dei altissimi filius factus, summum es gloriæ adeptus fastigium. Cum maiorib. ergo laboribus & periculis conflictaberis. Sis fortis: fortibus viris, quasi obsonia quædam sunt labores. Nihil magis regium Alexandro fuit, quam labor. Et tibi summi regis filio, iam patri reconciliato, nihil sit labore hoc spirituali antiquius. Nil sine m^uno Vita (vita inquam æterna) labore dedit

mortalib⁹. Ad summa nemo sine labore venit:

Periclitaberis vsquam, quid tum? Fas est periclitari, magna qui gerit. Magnæ res, magnis volût suscipi periculis: Et maxima bona, sine magnis malis non existunt. Labor ita & periculum tibi impêdatur, vnde honor & præmiû speretur. Verum heus sape: Animus qui vereri scit, scit tuto aggredi: fac intelligas periculum, & cauebis periculum.

I. *Resistendum tentationi.*

II. Cauendum tibi a relapsu, ne deficias.

I. TENTATIO sanctû iter Christianæ pietatis & caritatis tibi ingresso non parceret: Sume animos.

i. Explorabit nouum suum velitem Deus, ad quem reuersus es: At nunquam Deus te tentationis cribro agitari permittet, nisi ad maiorem sui gloriam, & tuam qui tentaris vtilitatem:

Tum vt exciteris ad appetendam cœlestis patrię quietem. Et ab amore præsentis seculi distraharis.

Tum vt scias, vnde vires tibi ad pugnandum subministrantur.

i.
Resiste igitur
tentationi.

Causa tē.
tationum
i. Deus:

Cur.

Præsidia

Hic præsidia tibi *sint in promptu.*

I. Exardescat *oratio*, & cum Dauide dicas: Cesset iam manus tua, & Domine, ne in furore tuo arguas me.

2. Exsuscitetur *Spes diuina misericordia*: Siquidem qui iam nos castigat pater est, qui nunc se nobis patrem exhibet, ne postea seuerissimum iudicem. Fidelis Deus est, qui non sinet te tētari supra id, quod ferre potes, sed faciet cum tentatione prouentum vt sustinere possis.

2. Roboret te *inuieta patientia*.

Bernh. in Psal. *Qui habitat. Glorificate & portate Christum in corpore vestro, onus delectabile, suauis pondus, sarcinam salutarem: etiam si premere aliquando videatur, latera tundat, flagellet recalcitrantē, in chamo & freno maxillas constringat, feliciter tamen omnino coerces: Esto vt iumentum, & dicas cum Dauide: vt iumentū factus sum ego. Similitudo hac non in insipientia sed in patientia imitatione consistit.*

II. Diabolus.

II. Diabolus aduersarius & tentator te cribrabit, diuexabit: hic spectat animæ ruinam & interitum, quæritque infinitis machinis & magno robore Resiste ne defice.

I. Si

I. *Sit demon astutissimus.*

At tu q̄ es nouella plantatio Dei, (vt Bern. loquitur) q̄ nō dum satis exercitatos habes sensus ad discretionē boni ac mali, noli sequi cordis tui iudiciū, noli abundare sensu tuo, ne te tanq̄ rudē versut' ille venator decipiat. Humiliare sub potēti manu Dei, cōsule S. li. teras, audi piorū consilia q̄ melius norūt venatoris illius versutias. *Precib' sollicita Deū, foresque cœli pulta.*

2. *Sit diabolus valde robustus, sitq̄, leo rugiens.*

Tu vero armabis te vera fide in Iesum Christum, qua frāges Satanæ potētiam, vitæ sanctimonix, quantū poteris p̄ Dei gratiā, stude & vigila. *In omnib. inquit Apost. sumite scutū fidei, quo possitis omnia ignitata nequissimi extinguere. Resistite, inq̄t Petr', diabolo fortes in fide.*

3. *Sit Diabolus ex parte una immanissimus, at post triumphum, quem de eo tulit crucifixus Iesus, est timidissimus.*

Resistite diabolo, inquit Iacobus. & fugiet a vobis. Greg. Contra cōsentientes fortis est, cōtra resistentes debilis: Si suggestionibus eius consensus prabetur, est quasi leo, si resistitur, quasi formica..

III. *Sape ipsi nos tentamus, nobis ipsi hostes domestici, per carnis concupiscentiam.*

Iacob. 2. Unusquisq̄ enim tentatur a cōcupi-

Præsidia.

III. Ipse nos seu cōcupiscentia.

Prasidia.

Scientia sua abstractus & illectus. Aduerlus hunc hostem interiorẽ intestinum bellum gerito, continua vibrato arma, per quotidianam abnegationem malorum affectuum, & prauarum propensionum, quas in nobis deprehendimus. Propositum animi in bono sit tibi cõstans, instabilitatem animi, otium, ignauiamq; detestare, noxiarũ cogitationũ & delectationũ stimulis, simul ac excitantur, magno studio repugna.

IV. Mundus.

IV. Extra nos in mundo immundo multa sese offerent, quæ in seipsis, quoquo modo aliquid continent, quod appetitum tuum allicere & a recta ratione deturbare poterit.

Imo, *ut Salomon ait*, creaturæ Dei in odiũ factæ sunt, & in muscipulam pedib' insipientium. Ex creaturis bonis natura hominis deprauata, velut aranea ex floribus, succum trahit, quem in venenum vertit.

Prasidia.

At tu o homo, victoriam reporta- bis, si peccandi occasiones vitaueris aut sustuleris.

Bern. *Sit vera cõpunctionis indicium oppor- tunitatis fuga & subtractio occasionis.* O Christi Athleta, si sapias, armabis te patiẽtissima ten- tationis tolerantia, quam diu adest, & contra eam Christianæ luctę ac pugne perseverãtia.

V. Vbi

V. Vbi conuersus pietatis iter suscepisti, ne te offendat, quod tibi etiam reconciliato priorum peccatorum memoria acerbè afficiens animum recurrat. Audi Dauidem: *Peccatum meum coram me est semper.* Audi Paulum: *non sum dignus vocari Apostolus, quia persecutus sum Ecclesiam.*

I. *Vtilis est recordatio peccati, qua peccatū: ponitur enim ante oculos mentis vis & pondus peccati, iniuria Deum laceffens. Vnde saluberrimus timor & dolor; Vnde pudor & rubor filii coram tā optimo parente: vnde incendium amoris in benignum Deum peccatis ignoscentem.* II. Audi augustum Augustinum: *Non sit ante oculos tuos delectatio prateriti peccati; sed sit ante oculos tuos damnatio peccati: periculosum est imagines peccati turpis, & impura spectra recurrere, & sese impertune ingerere: Indicant. n. in hominis animo adhuc residere reliquias vulneris antiqui.* Bernh. *Purganda ab his memoria, & exhaurienda sentina.* III. Audi eundem ex Paulo Apostolo: *Fidelis sermo & omni acceptione dignus, quod Dominus Iesus venit peccatores saluos facere, quorum primus ego sum.* Hoc ergo apud beatum Paulum fiducia & consolationis accipite fratres, vt ad Dominum iam conuersos

Species
quadam
tentatio
num

I. recurrit
peccati
memoria
mordax.

Vtilis,

quatenus

non nimis cruciet præteritorum consciëntia delictorum, sed tantū humiliet vos, sicut & ipsum. Ego sum minimus Apostolorum, & non sum dignus vocari Apostolus, quia persecutus sum Ecclesiam Dei: Ita & nos humiliemur sub potenti manu Dei, & fiduciam habeamus, quia & nos misericordiam consecuti sumus.

I. *Tentatio.*

Animum

II. Hæc insuper te cogitatio nō sine magni damni periculo versat; te cū adhuc viueres ex arbitrio, & appetitionibus fræna laxares, nunquã tot & tam multas curas ac molestias expertum esse, quibus in hoc statu, in limine diuinæ gratiæ, & Christianæ pietatis aditu acerbè concuteris.

Præsidia.

At vbi hæc cogitatio animum subit tuum, Christum auribus tuis inclamantem audi: *Qui vult esse discipulus meus, abneget seipsum, tollat crucem suam, & sequatur me.*

*Nunquam bella piis, nunquã certamina desunt,
Et quo cum certet mens pia semper habet.*

Tentationis maximus est fructus, quo te Deus carere nou vult.

Qui non est tentatus, quid scit? inquit sapiens. Viam hanc omnes tenuere sancti. Tene excipies ex forte sanctorum.

Chri-

Christus ipse Dei filius dilectissimus, autesignamus militiæ nostræ, cuius sequenda vestigia, *tentatus dicitur per omnia.*

Ad nouam cum vocarere vitã, non ad delicias & voluptates vocabaris, sed ad laborem, ad tentationem, ad crucem, imo etiam ad mortem, si opus fuerit, subeundam.

Cogitatio ista vbi te afflixerit, *Cogita* Satanã rimari omnes animi tui angulos, quomodo conuersus te habeas in amicitia, quam iã primum cum Deo iniisti, stabilisne illa sit, an vacillet. Hac exploratione non est illi op^o cum iis, qui plane Deo bellũ indixere. *Cogita* Satanam omnem moturum lapidem, vt te loco pietatis dimoueat. At peccatorẽ, vt ait *August.* nõ est, quod hanc ob causã adoriatur: Nã possidet, vtiturq; eo, vt libet. *Chryso.* *primordia semper boni pulsant, tentat rudimenta virtutũ: sancta in ipso ortu festinat extinguere, sciẽs quod ea subuertere fundata nõ possit.* *Cogita* deniq; femina etiã tentationis in nobis esse, sed occulta (aut enim vitio cuidã dediti, aut negotiorũ mundanorũ cura distracti sum^o) ea tunc caput exserunt, ac se produnt, cum primum secundũ Deum viuere incipimus.

III. Nonnunquam terrebit te ardua & aspera via vite Christiane.

Caro. n. ait Bernh. hacten^o indomita castigari & in seruitutẽ redigi, nequaquam equanimiter

1.

2.

3.

III. Tentatio.

patitur, sed adhuc memor recens perditæ libertatis, acrius concupiscit aduersus spiritum.

Hanc tentationem, ait, nominari in Psalmo *timorem nocturnum*, non noctem, quia non tam afflictio, quæ nocte significatur, quam timor afflictionis tentatio est.

*Præsidia
sive profli-
gatio*

*At vince animum carnemq; tuam:
Christo duce, vinctes.*

Neceffe est pietati & caritati operam dare. Ardua autem virtutis via est. Non comparabitur illa, nisi ferendo dura quæq; & aspera, dolorem etiam & infamiam, si opus sit; An non natura duce hoc didicere a Christo alieni? Difficilia, quæ pulcra: Rebus maximis difficultatem ipsa natura proposuit. Circa virtutes labor sumtusque perpetuo implicatur, vt opus difficultate obiectum assequare. Curæ laboriosæ efficiunt, vt ad pulcra & honesta perueniatur. Contendisti intrare per portam angustam, perge in via; tu ne cede malis, sed contra audentior ito. Ora & labora, & ardua quæque superabis. Labor omnia vincit Improbis. At nulla est tam facilis res, quin difficilis fiat, si inuitus facias. Virtute ad gloriam contenditur. Nihil tam alte natura constituit, quo virtus non possit emitti.

Falsæ, me Christe, decipiuntur opinionis errore, qui existimant, vitam sancte traductam plenam esse angustiis, laborib. tormē-

tis,

MEMBRUM SECVNDVM.

tis, ita vt omnino expers sit suauitatis & voluptatis, cum virtus non sit sine voluptate & iugum Christi suaue sit onusq; leue. Audiamus Dauidis experientiam Psa. 119. *In via testimoniorũ tuorũ delectat⁹ sum, sicut in omnib. diuitiis. Psal. 19. Iudicia domini desiderabilia super aurum & lapidem preciosum multum, dulciora super mel & fauum.*

Deus ipse in foedere præsentissimam pollicitus opem dixit: *Dabo eis cor nouum, & spiritum nouum indam in visceribus eorum, & auferam cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum, vt in præceptis meis ambulent & iudicia mea custodiant, faciantq; ea, & sint mihi in populum, & ego sim eis in Deum. Ipse igitur efficiet, quia verax, quia potens, vt cum Apostolo dicere possis: Vetus homo noster crucifixus est cum Christo, vt destruat⁹ corpus peccati, vt ultra non seruiamus peccato. Ne timeas inquit, Ies. 41. quia tecum sum, ne declines, quia ego Deus tuus, confortauit te & auxiliatus sum tibi, & suscepit te dextera iusti mei. Ecce confundentur, & erubescunt omnes, qui pugnant aduersum te, erunt quasi non sint &c. Ego Dominus Deus tu⁹ apprehendens manum tuam, dico tibi: Ne timeas, ego adiui te. Veniente Iesu Domino nostro, omnis vallis exaltatur, & omnis mons & collis humiliatur, omnia curua fiunt recta, & viæ asperæ fiunt planæ. Tu quod*

3.
Exech. 11.

Deut. 30.

non potes, gratia spiritus sancti abũde utiq; in te efficiet. Circumcidet Dominus Deus cor tuum, & cor feminis tui, vt diligas Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & tota anima tua, vt possis viuere.

4.

1. Ioan. 3.

Dic cum Augustino: Domine, da quod iubes, & iube quod vis. Sis obseruans Caritatis diuinæ, ipsa te faciet molestias deuorare omnes sine labore.

IV. Tentatio.

Hæc est enim caritas Dei, vt mandata ei custodiamus, mandata ei grauiam non sunt. Omne enim quod natum est ex Deo, vincit mundum, August. *Qui amat, non laborat. Omnis enim labor non amantibus contrarius est. Solus amor est; qui nomen difficultatis erubescit.*

IV. Mundus item suo amore, splendore, aut contemptu obiiciet tibi veritatis, pietatis & caritatis viã ingreffo nõ leue impedimentũ; aut nescio quem impudẽtem incutiet pudorẽ. At tu, O Christiane, mecum *Spernere mundum, spernere nullum, spernere temet,*

Profligatio.

Spernere te sperni disce beatus eris.
 1. *Vide mihi, quæso, quam breuis & euani- da sit huius mundi felicitas.*
 2. *Vide, quantę miserix sint mundanę felicitati admixtę.*

3. Vid

3. Vide per ardorem mundi ambulantes quanta pericula, quot laquei!

4. Vide horrendam mundano. .im cœcitate, & Ægyptiacas tenebras.

5. Vide mundum, & vides peccatorum ac scandalorum cloacam immundam.

6. Vide mundum, & vides domum fallaciarum, fraudum, & mortis.

Mundi igitur huius contemptum contemne; qui contemptus te contemnit, laudat vero, a quo omnis vera laus, laudatissimus.

S vero te pudet viarum Dei tui: si vias sanctorum mandatorum eius erubescis: Memineris o homo, memineris!

Ne te pudeat pietatis.

1. Breui te moriturum, & coram Christo sistendum, quanto tunc pudore suffunderis?

2. Si Christum non puduit pro te in cruce nudum pendere, cur te pudet Christi sermonem seruare?

3. Tot millia virorum & sceminarum sanguinem cum vita profuderunt, & tu erubescis amore illius saltem boni quid agere?

4. Quid dices in die supremi iudicii? quis pudor tuus? quæ confusio faciei?

5. Nil verere mundum, perge, ne defice; dū Christum sequeris, gaudio cœlum, inuidia tristitia tartarum imples.

6. Si erubescis bene agere, erubescis etiam Christianus esse; hoc pudore quid turpius?

7. Nostin illud? *Qui me erubuerit coram hominibus, erubescam & ego illum coram patre meo & omnibus angelis*

8. Nostin illud Apostoli: *Si hominibus placerem, Christi non essem seruus. Quid respicis homines, quid moraris ea facere, quæ Deo & sanctis sunt grata.*

9. An non promisisti in Baptismo tuo, te renunciare Satanæ & omnib. ei' operib. solūq; Deum, in cuius numen & nomen baptizatus es, amaturū. Pudeat igitur te opera Dæmonis exsequi, iuuet te Dei voluntatem facere.

10. Pudenda est amentia erubescere opus bonum, quo ipso in cælo & in terra habemur despiciatui, & non ob malum opus pudesceri, quod excipit maledictio & pœna seculi vtriusque.

11. Non te latet illud Iesu: *Seruus sciens voluntatem Domini & non faciens vapulabit multis?* Quid quæso hoc? quotidie oras, vt fiat voluntas Dei, & vt placeas mundo, eam non facis.

12. Cogita, oro te, fieri non posse, vt bene sit tibi apud Deum, & pariter apud mundum, vt simul Deo mundoque placeas.

13. Si thesaurum te quærentē alii irriderent, tu tamen ob illorum risum a cœpto non desisteres: cur desistis quærere diuinæ gratiæ & gloriæ thesaurum?

4. Respice ab vna parte Deum & paradisi-
um beatorum ledem, ab altera vero mun-
dum eiusq; conuersationem; vtri⁹ potior ti-
bi ratio habenda videtur? O quanto perfun-
deris gaudio; vbi hinc per mortem discesse-
ris, si humana gratia aut odio non præpedit⁹
Deo viuere non erubuisti!

11. RELAPSVM caue, ne defice;
ne in pristina peccata recidas cni-
tere.

Memoria vitæ præteritæ quam in
cupiditatibus carnis explendis ante
conuersionē suauiter traduxisti, tra-
here secum solet grauem mœstítiam
in voluntate, quod ab ea suauitate
vitæ per conuersionē ad Deum per-
petuo te exclusum intelligas.

Atqui noueris *reciduum* (vt vo-
cant,) *hunc casum* in morbum esse
admodum *periculosum*, minitante no-
bis Christo Domino, *hominis in pri-
stina peccata relapsi nouissima fore peiora
prioribus*, idq; tibi. potissimū modis.

1. *Ex parte Diaboli*, qui hominē e pec-
catis liberatum, in quib. antea eum
captiuum tenuerat, tanto crudelius

11. Relapsio casus
est in priora peccata.

Cur recidius casus fugien-
dus propter periculum.

1. Ex parte Diaboli.

infestat, tanto vigilantius attendit, tanto acrius inuadit, tanquã prædam e manibus vel bolum e faucibus ereptum. Non inueniens requiẽ, dicit, *Reuertar in domum meam, unde exiui.* Ducitq; secum septem spiritus nequiores se. Homo itaq; relapsus ex parte diaboli multo peiori loco est, quã prius fuit.

2. Dei.

II. *Ex parte Dei*, quia magis a Deo relinquitur talis peccator, qui velut canis ad vomit, uel fũs ad volutabrũ redit.

Ierem. 51. *Curauimus Babylonem & non est sanata: Ecce relinquamus eam.* Ierem. 15. *Quis miserebitur tui Ierusalem, aut quis ibit ad rogandum pro pace tua? Tu enim me dereliquisti, dicit Dominus: retrorsum abiisti.* Christus sanato paralytico Ioan. 5. dicit: *Ecce iam sanus factus es: Iam noli amplius peccare, ne tibi aliquid deterius contingat.* Mat. 12. *Serue nequam omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me. Nonne oportuit & te misereri conserui tui, sicut & ego tui misertus sum? Et iratus Dominus eius tradidit eum tortoribus, quoadusq; redderet uniuersum debitum.* Nosti illud: *Qui amat periculum, peribit in eo.*

III. *Ex parte peccatoris in peccato fi e*

quen.

quenter prolapsi nouissima fiunt peiora prioribus his de causis.

i. Quia cum in omni peccato sit auersio a Deo per transgressionem mandati, & conuersio ad creaturas per voluptatem peccati: ex hac posteriori parte per consuetudinem peccandi generantur prauis habitus, qui difficilem reddunt conuersionem ad Deum. Frons meretricis facta est tibi, nescis erubescere.

Ier. 3. August. *Ex voluntate peruersa fit libido, & dum seruitur libidini, fit consuetudo; Et dum consuetudini non resistitur, fit necessitas.* Prou. 8. *Impi' cum in profundum venerit, cōtenit.* Ceteri peccatores cōtra tres hostes bellū gerūt: at reiterans peccator cōtra quartū etiam pugnare debet, sc. cōsuetudinē hostē durissimū.

2. Deo reconciliatus, & potestate diaboli & tenebrarū ereptus, vera libertate spiritus donat, multo atrocius relabendo offendit, quā qui natura filius iræ & seruus peccati uiuit, fide & gratia Christi nunquam accepta.

2. Pet. 2. *Melius erat illis non cognoscere viā iustitiæ, quam post agnitionē retrorsum cōuerti, ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato.*

Peccato
ris.

2. Ratio.

Basiliius: *Quemadmodum in pestilentib. locis sensim at tractus aer latentem corporib. morbum iniicit: sic in prava consuetudine, maxima nobis mala hauriuntur, etiã si statim incommodum non sentiatur.*

1. *Recognosce meũ maximam indignitatem, quæ huic rei inest: Quid enim indignius excogitari potest, quã paulo ante ingemuisse, fleuisse, Dei infinitam misericordiã obtestatum esse, vt peccatorũ venia impetraretur; Et repente mutato consilio sui obliuisci, Dei gratiã nauici facere, pietati nuntiũ remittere, quidlibet aliud cogitare & esse, atq; fueras, & velle semper esse volueras?*

2. *Cum ad eadẽ sæpius peccata redimus, difficilior sine dubio est reditus in Dei gratiam: tum quia grauior est iniuria, iustiorque Dei a nobis auersio: tum quia nos ipsi in scelere calum obducimus: Denique quia crescit Satanæ vis & dominatus in animum.*

Hinc Heb. 10. docetur: Voluntarie peccãtib. nobis post acceptã veritatis notitiam iam non re-

lin-

linquitur pro peccatis hostia, terribilis autē expectatio iudicii, & ignis emulatio, qua consumptura est aduersarios. Sed hoc potius de apostasia & peccato in spiritum sanctum accipitur.

Ergo ne sis negligens in cura cogitationum, quæ stimulant ad veterem vitam replicandam: imo quo illæ magis se inculcant menti, eo celerius & fortius reiiciantur.

Cyp. Diaboli titillationibus obuiandum est, nec coluber foueri debet, donec in serpentem formetur. Hieron. Dum paruus est hostis, interfice, & nequitia elidatur in semine.

Insiste orationi, & crebro illam vsurpa, quæ Augustino fuit familiaris: Da quod iubes, & iube, quod vis: Continentiam iubes, perseverantiam iubes, da quod iubes, & iube, quod vis.



MEMBRUM TERTIUM.

PROFICE SEU

progredere.

Donum Dei est in via salutis progressus. Deus dat incrementum.

Scio Domine, quoniam non est hominis

Conclusio

Profice.

Profe tu
caussa
Deus.

viam eius neque viri, ut corrigat viam suam. Ierem. 10.

Oratio.

Flagitandum igitur donum hoc precibus ab eo, in cuius est manu, cum Dauide: *Deduc me Domine in iustitia tua propter inimicos meos.* Orandum ut det nobis secundum diuitias gloriæ suæ virtutem corroborari per spiritum suum in interiori homine, Christum habitare in cordib. nostris per fidem, ut simus in caritate radicati & fundati.

Fiat voluntas tua pater, sicut in cœlo, ita & in terra a me.

August. *Semper magnificetur Dominus: peccatores, magnificetur, ut vocet. Confiteris, magnificetur, ut ignoscat. Iam iuste viuus, magnificetur, ut regat. Perseueras usq; ad finem, magnificetur, ut glorificet.*

Exhortatio.

Deponentes igitur omnem malitiam, & omnem dolum, & simulationes, & inuidias, & omnes detractiones, sicut modo geniti infantes, rationabiles sine dolo *concupiscite lac*, ut in eo crescatis in salutē, si tamē gustastis, quā dulcis sit Dominus. 1. Pet. 2.

Con-

Contendisti intrare per angustam
portam; Iam exerce te ad pietatem,
quæ ad omnia est utilis. 2 Tim. 4. ma-
gno ardore & conatu tollens super te
iugum Christi in cœpta via progredere.
Regnum Cœlorum vim patiatur, vio-
lentus rapias illud. Retrahenti dic;
Vade post me Satana, Scandalo es mihi.

Iustorum semita, quasi lux splen-
dens procedit, & crescit usque ad per-
fectum diem. Proverb. 4. Ne igitur de-
sis gratiæ Dei, Heb. 12. sed curre viam
mandatorum Dei, Psal. 119.

Bernh. *Si proficere, currere est: ibi proficere,
ubi currere desinis. Vbi vero non currere, ibi
deficere incipis. Hinc plane colligitur, nolle pro-
ficere, esse non nisi deficere. Necesso est, spiritum
aut proficere semper, aut deficere.*

August. *Quantumcunque hic vixerimus,
quantumcunque hic profecerimus, nemo dicat:
Sufficit mihi, iustus sum. Qui dixerit, remansit
in via, pervenire non novit.*

Idem. *Proficite, fratres, discutite vos semper
sine dolo, sine adulatione; Semper tibi displiceat,
quod es, si vis pervenire ad id, quod non es: Nam
ubi tibi placuisti, ibi remansisti.*

Nota progressus studiose.

D 4

Notanda
profectu-
o qua-
tuor.

1. Proficiens tibi certo perluadeas te quotidie incipere.

2. Ne cadas animo, si te quantum optas, nõdum profecisse cognoscis.

3. Propositum tuũ in profectus curriculum esto Deus & ad Deum.

Ergo. 1. *discute* te diligenter initio cuiusq; actionis, & postea circumspice in progressu & termino eiusdem.

2. *Substerne* diuinæ gloriæ quicquid laudis humanæ ex recte factis tibi possit accedere.

4. Intuere in exempla omnium virtutũ Iesum Christũ, qui Sol iustitiæ, lux mundi, via, veritas & vita est. Per patientiam curte ad propositum tibi certamen, respiciens in auctore fidei & consummatorem Iesum. *Heb. 12.* In hoc cresce per omnia. *Eph. 4.*

5. Primum & multo magis desuda in fugandis vitiis & te ipsum domando & abnegando: hinc consecrare virtutes. Hæc in genere: iam speciatim.

Profice.

1. Abnegando te ipsum & iniustitiã.

Proficies autem.

1. *Per abnegationem iniustitiã.*

2. *Consecrationem iustitiã.*

INIV-

INIUSTITIAM abnegabis, inceptum abnegaueris, & carnem tuam mortificaueris.

Teipsum autem abnegaueris, carnem, que tuā mortificaueris. si peccata præcaueris, ne committas, & postea declinaueris.

Peccata autem quædam sunt leuiora, quædam grauiora,

I. Initium fiat a peccatis leuioribus præcauendis & declinandis.

OMNE quidē peccatum diuinam lædit maiestatem, & peccantes facit reos mortis æternæ: at interim gradus eorum esse constat.

A leuioribus itaque profligandis proficiens capiat initium.

Minutiora licet tibi videantur, ne tamen in minutioribus curis ea habeas suaserim.

I. Peccatum omne, siue magnum, siue paruum, memineris, te ad pœnā

I. Cura.
Peccata
primum
declinare
leuiora
disce.

Et ipsa of-
fendunt
Deum.

Idem igitur ca-
ueas.

Ratio.

obligare: quia contra Dei mandatum est.

2. Animam sua turpitudine foedant; nostrum decus ita exterminant, *ait Augustinus*, ut a sponsi speciosi forma præ filiis hominum castissimis amplexibus nos separent.

3. Imminuunt feruorem caritatis, sicut aqua ignis flammam.

4. Debilitant vires animi in virtutum sanctarum exercitio, sicut onus impositum reddit equum ad ambulandum tardiozem.

5. Remorantur gloriam nostram officiendo glorię diuinę.

6. Minuunt bona æternę glorię.

7. Disponunt hominem ad maiora peccata.

8. Obstaculũ afferunt nouę gratię recipiendę.

9. Impediunt sanctę ad Deum orationis debitam deuotionem.

10. Impedimento sunt progressui in vita spiritali.

11, Faci

11. Faciunt, vt multis donis spiritua-
lib. destituamur. Sunt furunculorū
instar, qui paulatim multa eripiunt,
& licet furari nō videantur, eo quod
minuta quædam surripiant; Exitus
tamen probat tandem furtum, vbi
Dominus deprehendit sibi multa
deesse.

12. Reddunt animam infirmam, &
obnoxiam omnibus infirmorū ma-
lis. Vulnera sunt exigua in corpore,
at non negligenda, sed curanda.

13. Impediunt aspectum, quo minus
Deum læte videamus, & pure ame-
mus. Pulueris & nebulæ sunt instar
oculis obiectæ.

14. Qui spernit modica, paulatim
decidet, *Eccles. 19.* Nolite contrista-
re spiritum sanctū, ait *Aposto. Eph. 4.*

August. Ne contemne peccata parua, et si par-
uifacis dum ea ponderas: time saltem, quando
annumeras.

Idem. Nullum peccatum tam paruum est, quod
contemptum nō fiat magnum. *Arenæ enim maris*
licet exigua sint, & similiter gutta aqua: tamen
multiplicate augent flumina, & magna damna

faciunt: gutta quoque, subeuntes nauem, tandem eam submergunt.

Idem: Nullum est tam paruum peccatum, quin hominem, si in eo sibi complaceat, occidere possit.

*Quid fa-
nāum
ut decline-
tur.*

Hieron. Ne consideres quod parua sint peccata sed quod magnus sit Deus, cui displicent.

ERGO, o homo

1. *Accurate quotidie conscientie tuæ latebras discute, & assidue aduersus peccata quantumlibet minima, noua pœnitentia & fidei excitatione pugna. Quotidie mederi nostris malis debemus: peccata non tantum recognoscere, verum etiam radicem eorum inquirere.*

2. *Animo subinde recale in homine diuinæ gratiæ donis cumulato peccata alioqui minima, maiora cense-ri & esse; quo enim illustrior est, qui peccat, eo maior existat labes, qua aspergitur peccando.*

3. *Cogita serio, quodlibet peccatum quantumlibet leue, progredienti in via salutis, præsertim vero si iam in-*

habi

habitum eualerit, ad quē leuia peccata disponunt. Si enim semel atque iterum commissum retardat, quid tuturum putamus, cum est diuturna consuetudine firmatum. *Omne enim malum* nascens, facile opprimitur, nō tem cum inueteratum est. Principi- s obstandum, quanquam enim peccata hæc spinæ sint, quæ leuiter feriunt, ut putatur, cum parua sunt: cum tamen usu robustiora sunt infixæ magis animo, hominem interiorem, si non prosternunt, concidunt tamen, elumbant, redduntq; deformiter in via spiritus claudicantem.

Cura itaq; prima sit parua profligare peccata: altera sit grauiora cauere, reuellere & abiicere prauas affectiones & habitus, quibus homo, dum peccat, imbuitur.

Excubet autem apud te profecturum sedula cura

i. Abnegandi nimium amorem tui, qui carnalis est.

II. Cura grauiora cauere.

Ea q; quadrimembris.

2. Dominandi appetitioni & concupiscentiæ carnis.
3. Affectiones ac perturbationes animi refrænandi.
4. Habitus prauos reuellendi & eradicandi.

I. Abnegandus amor proprius.

I Abnegandus & mortificandus est amor proprius, carnalis & nimius.

Hic eminet inter omnes.

Abnegationis sui fastigiũ est proprii & quidem peruersi amoris mortificatio, quæ persequentes omnes permeans illis quasi spiritum vitamque largitur, ideoq; eminet inter omnes.

Bernh. Hom. 4. in Ezech. *Est amor carnalis, quo ante omnia homo diligit seipsum propter seipsum, nondum quippe sapit nisi seipsum.*

August. lib. 11. de Gen. ad literam. *Peruersus sui amor priuat sancta societate turgidũ spiritum, eumq; coarctat miseria, tam per iniquitatem satiari cupientem. Huic contraria est caritas, quæ non querit quæ sua sunt, id est, non priuata excellentia letatur; merito ergo & non inflatur.*

Idem

Idem lib. 14. de ciu. Dei: *Fecere ciuitates duas amores duo: terrenam, scilicet, amor sui usq; ad contemptum Dei: Caelestem vero amor Dei usq; ad contemptum sui.*

Amor sui carnalis mortificandus tibi, quia actionem tuam non modo inquinat, sed & peruertit & ad te ipsū deflectit: saepeq; efficit, vt quanquā tibi, quod facis propter Deū facere videris, re tamen ipsa non Deum, sed te ipsum intuēs, in proposito tuo nihil aliud quæras, quam te solū ipsum.

Conuerte itaq; studiū curamq; tuam ad ardentem carnalis amoris tui abnegationem: Illi. n. malorum fonti exsiccādo, minor æstus par non est.

Scelerum omnium capiti virtutum omnium matrē oppone, vt qui perieras amādo te, reuiuiscas abnegando te.

Aug. *Si perit homo amando se, profecto inuenitur negando se.*

Vis huius abnegationis & renuntiationis Basilio reuocatur ad capita quinque: *Nuntium remittere. 1. facultibus, possessionibus & externis bonis omnibus. 2. parentibus, consanguineis & mundanis amicis. 3. affectionibus omnibus*

Cur mortificandus

Quomodo.

carnalibus & terrenis. 4. Proptio
honoris & gloriae. 5. Amori etiam vi-
tæ. Idque amore Dei & Iesu Christi.

Hoc igitur age,

1. Ut rectus sis.

*Rectus est ille, inquit Gregor. qui in aduer-
sis non fragitur, qui ad carnalia non inclinatur,
qui ad superiora totus erigitur, qui divina vo-
luntati totus subiicitur.*

2. Ut omnia tua ordines in Deum,
& ad Deo semper presente, per amo-
rem fruendum.

3. Ut, qua hic fas, te ita Deo vnias
& assimiles, ut quæras duntaxat & af-
fectes honorem, voluntatem & be-
neplacitum Dei, tam in aduersis,
quam prosperis. O beatum te!

*Quid cu-
randum
profici-
enti,
ut moria-
tur amor
sui.*

*II Abne-
ganda
cupidita-
tes carnis.*

*II. Frangende sunt inclina-
tiones ad malum, appetitio-
nes & cupiditates
carnis.*

1. Omnes ad malum quam ad bo-

num

num natura sumus propellentes: Cogitatio cordis humani ab adolescentia ad malum prona. Imo cuncta cogitatio cordis intenta est ad malum omni tempore.

Cur.
Gen. 7.
Gen. 6.

2. In carne nostra non habitat bonum, sed peccatum, quod facit, ut quæ operamur, non intelligamus, ut non agamus bonum, quod volumus, sed faciamus illud, quod odimus. Lex membrorum in nobis repugnat legimentis nostræ, & captivat nos in legem peccati.

Rom. 8.

3. Sunt præterea Inclinationes, quæ sequuntur naturam individui, & certam corporis constitutionem; Sunt item, quæ ex habitu aliquo per consuetudinem acquisito, generatæ sunt.

Quomodo.

O quam infelicem se hic homo proficiens sentit; his inclinationibus & cupiditatibus dominari, labor ingens.

1. At tu, o homo Dei, sume animos, & in virtutum cœpta via progredi divina ope adnitere: *Exercitatio sanctimonie hic multum valet assidua.* Au-

E

di August. *Concupiscentia quot die minuitur in proficientibus & continentibus.*

Ut igitur cohibeas inclinationes pravas, siue communes siue proprias, iis te virtutibus exerceas, quæ illis maxime contrariæ sunt: ut autem compe-
scas concupiscentiam, contine.

2. Summa contentione resiste inclinationi & cupiditati, eiusque motionibus.

Aug. *Pugna, resiste, noli consentire. Post concupiscentias tuas ne eas. Rō. 6. Vide ne regnet peccatū in mortali corpore tuo, ad obediendum concupiscentiis eius. Frangat insurgentis vim humilis tua & feruens ad Deum oratio.*

3. Cū appetitionis huius motus insurgunt, nihil animo mouearis, sed immobilis persevera in suscepta deliberatione placēdi Deo, ac si extra te perturbationes exsisterent, nec tu ageres in ea re quicquā, sed potius patereris.

Bern. *An forte iam non ago illa, sed patior. Aguntur quidem in me, sed a me non aguntur, non consentio: mea dixerim, non quia facio, sed sustineo.*

4. Accurate explora pravas tuas inclinationes, ut eas, tanquam hostes tuos deprehendas & iugules. i. Vide, quæ

fit corporis tui constitutio, vnde sequitur inclinatio. Fulgent. *Vis nosse quid ametur, attende quid cogites.* Frequens enim & non accersita cogitatio de re quapiam est signum propensionis animi ad eam.

3. Replica pueritiæ & adolescentiæ tuæ studia. 4. Regula est: *Mulcum possibilia patiuntur etiam a parvis actiuis.* Facile igitur commoueri animo ac sensu ad aspectum, vocem, aut famam rei alicuius etiam exiguæ, indicium est inclinationis ad eam. 5. Experimentiam excute propriam eorū, quæ hactenus vel ad virtutē tibi profuerint, vel obfuerint ad vitium.

Hinc tota mente in Curam abnegationis fac incumbas.

III. Domanda sunt perturbationes & affectiones animi.

Inclinationes prauæ & cupiditates carnis generant animi perturbationes & affectiones vitiosas animi, quæ dicuntur *passiones*. Hæ si immodicæ

II'. Cura abnegandum animi perturbationum.

Ratio &
modus ab
negatio-
nis earum

fuerim, *sicuris* abnegationis illis est admouenda.

1. *Magno* Euigila studio in ipso primo affectus exortu, vt impetum eius coerceas primo statim initio, antequã ad habitus firmitatẽ perueniat. Beatus qui tenuerit & alliserit paruulos ad petram. *vt Aug. interpretatur.*

2. Hinc vero *non* languebis otio, sed assidue *amputabis* ramos indomitarum perturbationum in animo, vitio hereditario succrescentes.

Bern. *Parum est semel putasse, semper putandum est: imo si fieri possit semper, quia semper, quod putari oporteat, si non dissimulas, inuenis. Quantũlibet in hoc corpore manens profeceris, erras, si vitia putas emortua, & non magis suppressa: Velis nolis intra fines tuos habitat Iebusans, subiugari potest, sed non exterminari.*

3. *Non tantum* operam dabis amputandis ramis malarum affectionum, sed contra etiam *inferendis* bonarum affectionum surculis. Nunquã enim vacat animus motibus, aut turpidis & malis, aut serenis & bonis. Occupetur igitur bonis, ne malis obruatur.

4. *Occupetur autem mens uia in rebus diuinis & spiritualibus:*

Hominis interioris labor, est hominis exterioris otium.

Spiritus feruor, est carnis algor.

5. *Vt iterius si passionestuas vis curare, multum desudabis, vt ipsum animum ac voluntatem tuam auertas ab amore rerum terrestrium, & totam soli Deo applicatam quasi conglutines. Vita tua abscondita sit cum Christo in Deo.*

IV. Pravi hinc habitus radicatus conuellantur.

Vt prauæ inclinationes, prauas affectiones; sic prauæ affectiones generant prauos habitus. Horum euulsio requirit maiores spiritus vires.

Sunt autem facultatis animi Superioris aut Inferioris.

SUPERIORIS, nempe intellectus & voluntatis.

In Intellectu mortificanda sunt sequentia.

Cura abnegandorum malorum habituum.

Distributio prauorum affectuum.

In Intellectu mortificanda.

1. *Vitium CURIOSITATIS*, qua intellectus ea rimatur, quæ vel ipsius captum excedunt, vel quæ scire tua nihil interest.

Salomonem audi: *Altiora te, ne quæsieris. In superuacuis noli scrutari curiosius.*

2. *Temeritas iudicii.*

2. *Vitium TEMERITATIS*, cū ex coniecturis, dubiis ac incertis iudiciis formas tibi iudicium de vita aut morib. alterius hominis & repugnante caritate non modo iudicas; sed etiam condemnas.

Rom. 2. *Inexcusabilis es, o homo, omnis qui iudicas, in quo enim alterum iudicas, te ipsum condemnas.*

3. *Pertinacia.*

3. *Vitium pertinaciæ*, cum tuæ opinionis ita mordiciter inhærescis, ut nullius consilium aut persuasionem in deliberando admittas. Prouerb. 3. *Ne innitaris prudentiæ tuæ, nec sis sapiens apud te ipsum.*

Abnegandum proprium iudicium.

Abnega itaque o homo proprium iudicium, ut sit Dei & prudentum virorum iudicio conforme.

Basilii. *Sicut in uniuersum uti propria voluntate arbitrioque, alienum est a recta ratione:*

Sic

Sic maioris partis iudicio non stare, est contumacia & pernicacia periculum incurrere (ceteris paribus.) Cassianus: Impossibile est quenquam, qui proprio fidei iudicio, diaboli illusioni non decipi.

Bernh. Quousq; vos sapientes estis in oculis vestris? Deus se mortalibus credit & subdit: Et vos in viis vestris adhuc ambulatis?

Idem alibi. Quae maior superbia, quam ut unus homo, toti congregationi iudicium suum preferat, tanquam ipse solus habeat spiritum Dei? Idololatriæ scelus est, non acquiescere, & quasi peccatum ariolandi, repugnare.

Idem. Quod si culpam amici tuo iudicio, amor illius aut minuit, aut abscondit: quanto magis amor tui, tuum contra te iudicium fallat.

4. Intellectus perpetuus infinitarum cogitationum fons est, quas apud se depositas memoria suscipit & conseruat. Hæ si vitiosæ sunt, mortificandæ sunt.

1. Vitiosarum autem alix sunt otiosæ. Si verbum otiosum, peccatum; cur non & otiosa cogitatio.

Reduc in mentem, assistere te semper vniuersæ terræ dominatori,

4. Abneganda praua cogitationes.

1. Otiosæ.

qui cor intuens, reprehendit tacitus otium & inertiam eius.

2. terrena
mundana

2. Aliæ sunt TERRESTRES violentæ magis, fortiusque adhærent, quæ si paululû infederint, auelli nequeunt sine difficultate.

Admoueto securim ad radicem delectationis, quæ ex huiusmodi cogitationibus voluntatem incipit afficere: Carnalem hunc appetitum initio vitæ pullulantem in nobis oportet reprimere, quem extinguere nõ possumus.

3. Immunda,

3. Aliæ sunt IMMUNDÆ, quas malignus spiritus affert.

Bernh. Oportet si mundas conseruare volumus animas nostras, adhuc longe agentibus cogitationibus immundis, multa cum indignatione occurrere & exsuffare a nobis, ut nullus eis detur accessus. Idem: Ad thalamum Rationis tam ferox adhibendus est custos, qui nemini parcat, sed quicumq; hostis sine clam sine palam ingredi presumpserit, procul eum arceat, & hic sit Recordatio Gehennæ.

4. Curiosa,

4. Sunt & CVRIOSÆ cogitationes, de quib. supra. Disquisitiones rerum

ab.

absconditarum, tam Dei, quam hominum &c.

Vitabis incuriam teipsum indagandi, & vitabis curiositatem.

Bernh. *Anima, dum a sui circumspeditione torpescit incuria sui. curiosa fit in alios: Quia enim seipsam ignorat, foras mittitur, ut pascat hædæ, oculos & aures.*

IN VOLUNTATE mortificandum est omne id, quod nobis proprium, non Deo & Sanctis commune est.

II. Propria voluntas abneganda.

Vt in voluntate boni principium est sese Deo subiicere & committere regendam: ita pernicies eius oritur ex eo, quod suo illa se natu atq; consilio dirigat.

Abneganda itaq; est propria voluntas, quæ se ipsam quærit, seipsa delectatur, & neglectis aliis omnibus amore sui, quæ capta tota est intentam proprium commodum.

Bernh. *Propria voluntas Dominum maiestatis proprio furore impugnat; Nam seipsam subtrahit & subducit eius dominatus, cui tanquã auctori servire debuerat, dum efficitur sua.*

Idem. *Quid odit aut punit Deus præter propriam voluntatem? Cesset propria voluntas, & infernus non erit. In quem ignis ille desinet, nisi in propriam voluntatem.*

Quomo-
do abne-
ganda.

Mirabile quid accidit, in propriæ voluntatis abnegatione. Cum spiritu Dei insurgit voluntas contra seipsam; contra seipsam conuertitur, cum seipsam abnegat.

1. *Voluntas carnalis, natura sua cæca est: Ergo ne erret, opus est ei duce. Si cæcus cæcū duxerit, vterque in focum cadit.*

2. *Voluntas natura est libera; Ergo fræno opus, ne rationis limites suis affectibus transgrediatur. In chamo & fræno maxillas eorum constringe.*

3. *Voluntas tua natura appetit, estque meretricis illius instar, Ierem. 2. quæ sub omni ligno frondoso prosternitur. Coercenda & custodienda igitur, ne fiat præda suorum appetituum, Eccles. 18. Post concupiscentias tuas non eas, & a voluntate tua auertere, si præstes anima tua concupiscentias*

eius

eius faciet te in gaudium inimicis tuis.

Senec: Hoc solum virtuti adicies, propria quod voluntati subtraxeris.

Bern. In corde duplex est lepra, propria voluntas & proprium consilium, lepra utiq; pessima, eoq; perniciosior, quo interior.

Basil. Quicquid quisquam ex propria voluntatis arbitrio facit, id cum facientis proprium sit, alienum est a cultu pietatis.

Ephrem. Nihil est gravius, quam a voluntate propria superari.

INFERIORIS facultatis animi pravi habitus abnegandi & mortificandi sequuntur.

I. In mortificanda Gastrimargia, & euellenda GULA plurimum principio elaborandum.

Gula abneganda.

Impossibile enim est, (inquit Cassianus) saturum ventrem pugnas interioris hominis experiri: qui enim Gula superfluos appetitus inhibere non potuit, quomodo astus carnalis concupiscentia valebit extinguere.

Greg. Ad conflictum spiritualis agonis non assurgitur, si non prius intra nosmet ipsos, hostis

positus, Gula videlicet appetitus edometur.

Basilii: *Ventris moderatio, animi perturbationum compressio est: perturbationum autem compressio, animi pax est atq; tranquillitas; animi tranquillitas virtutum fecundissimus fons.*

Adhibe huic morbo remedium, iplam
ABSTINENTIAM? *siquidem* contraria contrariis curantur. Assiduitate Temperantiæ non solum os, sed cupiditatem multo magis cohibemus, rationiq; ac Deo obedientem reddimus.

2. *Non minus aliis vitiis, quam nocentibus cibis abstinebis, qui gulæ cupiditatē coercere desideras. Ut enim immoderata vitiorum cupiditas & usus, fons est aliorum vitiorum; Sic vicissim aliã vitia mutuam illi gratiã, gulam fouendo, referunt.*

Quorum Deus venter est, hi terrena sapiunt. Phil. 3.

3. *Negula tentationi succumbas, vehementius elabora, & operæ tuæ ne parce; Age quod agis, quippe ad carnis illecebras, & Diaboli insidias edendas lugendū est: & quidē hodie.*

4. Sc-

Quibus
mediis &
remediu.

4. Serio da operam *rebus diuinis* meditando & agendis.

Greg. *Gula per abstinentiam frangitur, sed abstinentiam habere non potest, qui mentem spiritualibus cibis non replet.*

5. Respice ad *exemplar Christi Domini*, quem imitari debes. Hic sitim & famem mira patientia pertulit, nec etiam allatis cibis depulit, ubi eum visit animarum salus, *Ioan. 4.* Huic in medio cruciatuum dederunt vinum bibere cum felle mistum.

I. PROFICIES in mortificanda gula, *si cauebis ne rapiaris aliquando occasione necessitatis extra metas naturalis necessitatis.*

2. Si pugnam susceperis aduersus ipsammet gulam delectationem: si ad capiendum cibum ita te compares, ac si medicamentum sumere debeas: si nouam inter edendum insurgentem voluptatem acutius examinaueris, edacitatemque compresseris.

II. Hinc ad seriam sollicitudinem reuocanda *Luxurie Abnegatio.*

Luxuria currus quadriga voluitur vitiorum: in gluuie ventris, libidine coitus, mollitie vestium, in soporisque resolutione: trahitur equis, aque

II. *Luxuria mortificanda.*

duobus prosperitate vite & rerum abundantia.

Et qui his president duo: ignavia torpor, & inuida securitas. Bernh. supra Canti.

Abneganda luxuria proficienti: Ex quo enim hac semel mentem alicuius occupauerit, vix eum bona cogitare permittit. Sunt enim desideria viscosa; quæ ex suggestione oritur cogitatio: ex cogitatione affectio: Ex affectatione delectatio; Ex delectatione consensus: Ex consensu operatio. Ex operatione consuetudo: Ex consuetudine desperatio; Ex desperatione peccati defensio; Ex defensione gloriatio, ex gloriatione damnatio. Gregor. in Moral.

Voluptates, dicente Chrysofomo, Sirenibus similes sunt, quæ extrinsecus perfecto pulcra apparent, longis & croceis capillis, oculis castis & illicibus: mammis rotundulis instar globulorum, oris paruo rictu, genis rubentibus. & pectore, collo, manibus, ceterisque membris candidis instar alabastris, at cauda instar horrendi serpentis prælonga, mucronacea, dentata & venenata. Suadebat itaque Arist. ut qui voluptatum insidias declinare cuperet, eas a tergo non autem a fronte respiceret.

Quid faciendum.

Tu vero respice iudicia Dei aduersus luxuriosos, moueat te diluuium, excidium Sodomiticum, Israelitarum & Beniamitarum clades, Dauidicæque domus confusio.

Respi-

Respice annales omnium temporum de Luxurię miseris docentes: Moveat te exemplum Troiæ, Ionæ, Iohannis 12. Pontificis Romani, Hispaniarum, Galliarum, & aliorũ regnorum. Vide etiam quam pernicioſa ſit homini luxuries & libido.

Medere huic vitio te impugnaturũ humili oratione.

*Remedia
Luxurię.*

Sine humilitate nullius penitus viri triumphus acquiritur. Mens quę Deo ſubdi humiliter nescit, carnis ſue deſideria dominando & præeminẽdo non premit.

Greg.

Postula cum Salomone a Deo continentiam & fortitudinem Sap. 9.

Sciui, quod aliter non poſſem eſſe continens, niſi Deus daret; & hoc ipſum erat ſapientia, ſcire cuius eſſet hoc donum, adii dominum & deprecatus ſum illum.

Auguſt. Minuſte, Deus, amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat.

2. Abſtinentia. inquit Greg. ciborum irritantiũ, cõtra hoc vitiũ fortiffima eſt. Si enim ignis libido eſt, ſubtrahis igni materiã, cũ cibos & vinũ ſubtrahis, in quo, ait Apoſtolus, luxuria eſt.

Vinum & adoleſcentia duplex incendiũ voluptatis. Hieron.

3. Custodi & cura cor tuum. De corde exeunt cogitationes malæ.

Cor itaq;, ait Cassianus, primum est expian-
dū, unde fons vitæ & mortis manat. Salomon:
Omni custodia custodi cor tuum, quoniam ex i-
psa vita procedit.

Ut autem custodias & expies cor
tuum:

1. Expelle pravas cogitationes statim ac
in animo excitantur.

2. Loco vitiosarum castæ & honestæ men-
tem subeant.

4. Custodito corde, caute tuos sensus cu-
stodias.

Audi Augustinum: Quicquid pulcrescit vi-
su, quicquid dulcescit gustu, quicquid blanditur
auditu, quicquid lenocinatur odoratu, quicquid
mollescit attactu; in his omnibus, si incauti fue-
rimus, subrepentibus concupiscentiis malis, ani-
mæ virginitatem corrumpi permitimus, & im-
pletur illud, quod per Prophetam dictum est: In-
trauit mors per fenestras vestras.

PROFICIS hic, o homo,

1. Si Dei gratia eo perueneris, ut si carnis
stimulos experiaris, eos sine tua culpa pa-
teris.

2. Si

2. Si prauam cogitationem praeuenis, aut cum se ingerit animo, subito ingulas.

3. Si diminui concupiscentiam sentis. Et si non tolli hic, frangi tamen potest.

III. Summe deinde studendum Auaritiae abnegationi.

Immane quippe scelus est, cuius inexhausta auiditas plura semper possidendi, nulla copia, diuitiis nullis satiari potest; quã sequi solet insatiabilis crudelitas, quam auari in alios exercent, ut eorum bonis suas expleant libidines.

Cane & angue peius fuge auaritiã, quæ rerum aufert usum, dum has, tum sibi tum aliis inuidet. Vide mihi, queso, auarum quouis mancipio vilissimo inferiorem, quippe, idololatra, fur, homicida, infidelis, profanus, atheus, inhumanus, execrabilis, causa omnium malorum, fatuus, miserabilis, sordidus, insatiabilis, pauper, mæstus, leno, mæchus, cæcus & prorsus infelix est.

Vide pelle & explode hoc ex te vitium.

I. Per veram cognitionem & sanctam reuerentiam Dei.

III. Auaritia abneganda.
Cur.

Quibus mediis & remediis.

2. Per quæstum illum magnum, dico pietatem cum animo sua sorte contento. Natura paucis contenta est. Non ad opinionem, sed ad naturam vixeris.

3. Noueris inexsaturabilem auaritiam suos in rebus aduersis tutari non posse.

4. Memineris amorem diuitiarum in nullum non adducere periculum, eamq; a solis doctrine & virtutis hostibus magni estimari, & causam esse omnis confusionis.

5. Intuere potius exempla præclara eorum, qui rite & conuenienter vsi sunt bonis.

6. Nosti prius tibi querendum esse regnum Dei, cuius gubernationi res omnes & negotia tua omnia permittas.

7. Vide mihi bona mundi huius; Eiusmodi sunt, ut nullam satisfactionem, nullam pacem & tranquillitatem animo asferre possint.

8. Inspice perfectionis exemplar, Iesum Dominum tuum, qui pauper in his terris, inimicissim⁹ fuit & verbis & factis, auaritia.

IV. Iracū
dia abno
ganda.
Cur.

IV. Summa ope adnitendum, ut IRAMORTIFICETUR, Iracundia abnegetur.

IRACUNDIÆ horrendum monstrum exstinguit omne rationis nostra lumen; omnes virtutes sepelit; confusiones mundanas parit, subuertit & deformat corpus &

ani-

animum; ipsum ex precipuis Satanae flabel-
lis intra infortunia gignit: homines in
beluas conuertit, & in diabolos transfor-
mat; obscurat omnem splendorem virtu-
tum eorum, quos occupat; Tyrannide for-
midabile est princeps malorum: a deo exse-
crabile, ut in aliis a nobis damnetur, licet
nos possideat; quo tectius est, eo pernicio-
sius: pestis est & pernicius mundi: hominē
impedit, quo minus praemeditetur, quae a-
gere velit, ne rectum consilium sequatur.

Ut monstrum hoc constringas & vincen-
do vincias:

Considera mecum eius originem.

1. *Causa iracundiae est superbia: cui
opponere discas antipharmacum,
Modestam patientiam.*

2. *Alter effrenatus nostri ipsorum
amor; hunc moderare sanctitate ca-
ritatis Deo & proximo debitae.*

3. *Tertia est curiositas & suspicio: huic
opponere prudentiam recte dissimu-
landi, & in plurimis peccatis conui-
uendi.*

4. *Quarta causa est animi leuitas exci-*

Quibus
mediis &
remediis.
Causarū
confidera-
tio.

piens omnes delationes: hæc extingue sapienti mansuetudine.

5. *Ultima est insolentia, quæ facit ut proximos ferre nequeam^{us}, eo, quod nullam eorum infirmitatis rationem habeamus: huic medere tui ipsius cognitione, nouerisq; solum Deum perfectum esse.*

II. His consideratis adhibe huic malo hæc 4. remedia.

1. *Prudenter præuenire decet iracundiam, antequam sit informata.*

2. *Exstinguendus ignis iracundia, simulac incipit accendi.*

3. *Muniendum est pectus patientia, qua Christianis pernecessaria est.*

4. *Commenda te sedulo & humiliter Deo, qui tibi his remediis utendi & fruendi facultatem concedat. Illic suo te temperet spiritu.*

Aliquo autem usq;, o homo, progressus es in abnegatione iracundie.

1. *Si ita facile & cito internos motus cohibere non poteris, saltem externos ubi cohibes.*

2. Si

2. Si *foedum* tibi videtur ira commoveri,
& erubescis, si iratus deprehenderis a vi-
ris prudentibus.

3. Si recte factis & dictis, maledicta fa-
taue alterius in te compensas.

4. Si ira exsurgit, & non rationem praeue-
niat sed sequatur.

V. Invidia virus ex animo tuo est ex-
purgandum.

Pestiferum etiam malum invidia, quod
hominem in diaboli conditionem ac in da-
monem immitissimum conuertit, inquit
Chrysoft.

Dolor est enim de proximi prosperitate &
rerum successu conceptus, unde inuido ani-
mo nunquam tristitia deest, ait *Basilius*. Inui-
dum feriunt omnia proximi sui bona, tam ex-
terna, quam interna corporis & animi: bo-
num successum eorum suam calamitatem
ducit. Invidia tam foedum malum est, ut in-
uidus ipse se prodere non audeat. Simulat er-
go gaudium & tacite secum rumpitur.

Fuge homo invidiam.

Horrendum ingenium & obiectum in-
uidiae. Tristitia afficitur, ob laudandam Dei
bonitatem, misericordiam & liberalitatem:
Dei & hominum hostis inuidus, cui nihil est

V. Invidi-
dia est ab-
neganda.
Cur.

tam graue & molestum, quam Dei benedictionibus frui, intueri imaginem inuidi a Greg. depictam: *Liouis*, inquit, *putredo*, ubi cor deuictum corrumpit, ipsa exteriora uesaniam animi indicant. Color pallore afficitur, oculi deprimuntur, mens accenditur, membra frigescent: fit in cogitatione rabies, in dentibus stridor, cumq; in latebris cordis crescens absconditur odium, dolore cordis terebrat conscientiam vulnus inclusum.

Quibus
mediis.

Ut mortifices inuidiam.

1. Ita sis animatus, ut nihil usquam humanum admireris, quippe qui ad sempiternorum & uerorum bonorum participationem, non ad fluxa bona uocatus sis: Desiderium, honoremque tuum in actione, quæ ex uirtute est, constitue, & inuidia dominari tibi non poterit.
2. Gregor. lib. 5. moral. Qui liouis peste carere desiderat, illam hereditatem diligat, quam coheredum numerus non angustat, quæ & omnibus uia est, & singulis tota, quæ tanto largior esse ostenditur, quanto ab hac percipientium multitudo dilatatur.
3. Cogita dotes & dona proximorum ita

ipsis

ipsis propria esse, ut cum aliis vsus Deus multis modis communicarit.

4. Sapius animo tuo reputa mala, quæ ex inuidiæ fonte emanant, grauitatem etiam peccati, difficilemque eius curationem.

August. Tolle inuidiam & tuum est, quod habeo: tollam inuidiam, & meum est, quod habes.

Ambros. Fuge inuidiam, quæ non tam alios, quam eum, quem possederit, lacerare consueuerit.

VI. Abneganda superbia Christiano detestanda.

VI. Superbia tollenda.

Cur.

Initium omnis peccati superbia, Eccles. 10. quæ cum radix sit, ait Gregor. omnium vitiorum, vni⁹ virtutis extinctione non est contenta, contra cunctas animæ vires se erigit, & quasi generalis ac pestifer morbus, corpus omne corrumpit.

Vide & fuge.

Vitium superbi & ambitiosi nec superiorem, nec parem ferre potest. Falsum honorem persequitur, verum negligit, opponit se Deo, cui⁹ honorem furatur sibi, omnia iura & officia subuertens. Nunquam considerat miseriam sui similiū. Nunquam suam imbecillitatem, nec Dei potentiā cogitet. Nunquam

obseruat, nec timet Dei acres in superbos minas: Sui deniq; ipsius omnem amisit cognitionem.

Quibus
mediis.

Vt autem abneges & profliges superbiam,

1. Tecum habita, & noris, quam sit tibi curta supellex,

Nosce te ipsum; o quam multa offendes, quate offendent.

2. Propone tibi ante oculos ipsius filii Dei exemplum, qui Dominus & hominum & angelorum declaratus; tamen dum in hoc mundo commoraretur, perfectus fuit humilitatis & contemptus gloriae mundanae typus.

Vt cognoscat
te ipsum, haec
age.

3. Considera pericula, quae magnam prosperitatem comitari solent. Vis autem tibi comparare tui cognitionem & veram humilitatem, hostes capitales superbiae.

1. Lege & meditare diligenter sacrosanctam veritatem.

2. Confer nostram, hominum scilicet, conditionem cum aliis rebus.

3. Inquire & examina rigide tuam ipsius vitam.

4. Con-

4. Considera res, quibus cares, quæ infiniti numero superant eas, quas habes.

5. Confer item hunc nostrum statum; cum statu primi parentis ante peccatum.

6. Vide item eos, qui sint, qui te laudent, qui vituperent.

6. Viuam deniq; suscipe cogitationem tribunalis Dei sapientis, iusti & omnipotentis.

VII. Abneganda est *Acedia*, tollendumque triste animi tædium, tepor, & frigus;

Triste tædium, quo cor aggrauatur & homo deprimitur, ut nihil ei agere libeat; quo totus homo deicitur languore pigro, & inducitur mentis continua amaritudo; quo animus absorbetur & occupatur languida deiectione, ut sui ipsius confusione & obnubilatione impediatur, ne sermonē *formet*. Vnde oriri solet aut *TEPOR* aut *FRIGVS*.

TEPOR hoc loco est torpor quidam proficientis in cœpta vitæ via, sed defatigati, aut certe deterriti rei magnitudine & itineris difficultate;

VII. Abnegandus *acedia*,

1. *Tepor*.

qui quasi de via languens desistit, nec ulterius progreditur.

Cur.
qui eius
effectus.

Ex hoc tempore est, ut

1. Homo oret sine attentione & fervore spiritus.
2. Meditetur quidem res divinas, sed sine animi sensu, affectu, fructu.
3. Difficiliter se expediat ab hominum frequenti congressione.
4. Ægre & raro in cor suum, animum dissipatum cogat.
5. Seipsum inspiciat quasi per transfennā, sine pœnitentia & emendatione.
6. Late se & libenter se diffundat in exteriora mitigandi tædii sui causa.
7. Consoletur se quasitis hinc inde solatiis aut inanibus cogitationibus.
8. Libere de aliis loquatur, aliorumque facta & dicta obseruet & reprehendat.
9. Graviter ferat disciplinam, admonitionem & correctionem.
10. Subterfugiat labores ad animæ salutē necessarios & fructuosos.
11. Obedire quidem legibus, at cum fastidio, lente, frigide.

12. Optet

12. Optet sibi honorem ab hominibus haberi, illisq; placere.

13. Apud se frigeat usus sacramentorum salutaris.

14. Audiatur raro & fastidiosius conciones sacras.

15. Occasiones peccatorum non vitet, sed suis fidat viribus.

16. Indulgeat sibi, suoq; corpori liberalius deseruiat.

17. Pristinos replicet memoria mores & mundanorum suauem vitam; ita ut mundi voluptates non displiceant, sed potius arideant.

Sed vt tollas tædium, tristitiam, & torporem,

Quomodo
tollendus.

1. Ora Dominum, vt de necessitatibus tuis te hic liberet; Trahe me post te, & in odorem vnguentorum tuorum curremus.

2. Bernh. Cum te torpore vel tædio affici sentis, noli diffidere, aut desistere a pietatis studio. Resistendo superabis: resumendo laborem resistes.

3. *Cogita periculum, in quo tepidus homo versatur.*

1. Periculum est recidendi in pristina peccata & flagitia.

2. Perdendi fructum vitæ bene institutæ:

3. Maioris alicuius forte ruinæ, ni tepor ille ex animo excutiatur.

4. Nunquam forte emergendi ex gurgite istius languoris & teporis.

4. *Cogita infelicem eiusmodi torpidi hominis statum, in quo tepidus quietus esse non potest longo tempore, quin agitetur cogitationibus & conscientia scrupulis, & tandem ipsum, quo tenetur, etiamsi desint alia, non potest non eum angere & conficere.*

II. *Frigus expellendum.*

FRIGVS, quo homo affectus amat quidem & eligit meliorem viuendi rationem, sed se tamen non expedit ab iis negotiis & occasionibus, quæ eum vel in peccatis detinent vel in virtutis stadio & studio remorantur: aut etiam in ea peccata labitur, quæ nulla ratione possunt excusari.

Sed eo grauior casus; quo ex altiore sanctitatis gradu quis delabitur.

1. Pri.

1. *Primo itaque deliberandum tibi est de nouo vitæ genere ardentius instituendo, per seria pœnitentiæ & fidei renouationem.*

2. *Meditare tecum mortem, quæ tibi subeunda, & alia nouissima, quæ mortem insequuntur.*

3. *Considera Deo maxime odiosum esse hypocrisin & duplicitatem.*

Bernh. *Simplex natura simplicitatem cordis requirit. Va peccatori terram ingredienti duabus viis: nemo enim duobus Dominis seruire potest.*

4. *Intuere & expende vitam tepidorum & torpidorum & frigidorum, ut ea cognita, tibi displiceas. Quodq; displicet tibi in aliis, id emendes in te.*

VIII. *Abneganda pusillanimitas & mortificandus metus.*

Ægritudine saepe laborat animus viâ Christi ingressus ex impendentis mali aut periculi expectatione; vel ex desperatione salutis & liberationis a malo aut periculo presente.

At noli esse pusillanimus in animo tuo, Eccl. 7. Audi & ota eum, qui dicit:

Pusillanimitas ab-
neganda
Cur.

Ies. 35.

Dicite pusillanimes: Confortamini, & nolite timere. Et cum David dices, Expectabam eum, qui saluum fecit me a pusillanimitate spiritus, & a tempestate. Psalm. 54.

Cur pusillanimus? cur metuis? Dea generes animos timor arguit. Spem concipe firmam de diuina prouidentia: ad hanc tempore, quo confingis cum pusillanimitatis angoribus, magnopere te erigere debes.

Magno animo repugna & temet auxilio diuini Spiritus obiice turbæ illi phantasmatum.

Et Gregor. *Tenebras mœroris discite, ne qui in tranquillitate de te alta senseras, in perturbatione deterius te cogitationum caligine confundas.*

Forte ad humilitatis studium te perducit Deus per hanc pusillanimitatem, ut illa prosternatur altior quædam superbia, quæ viris sanctis & bonis actionibus insidiatur: aut animæ tuæ instituit purgationem, ut absumatur amoris proprii illa affectio,

qua

qua tibi nonnunquam placere, plus quam par est, soles.

Ceterum quid est, quod horreas atque reformides.

1. *Crucem & afflictionem?*

Si pius es, crux & afflictio tibi est ineuitabilis: tibi utilis, honorabilis, gloriosa: non tibi, sed impiis formidabilis: confirmat adoptionem tui, virtutes illustrat, vitia extinguit. Ferto igitur magno animo crucem.

2. *Pertimescis morborum insultus?*

Corpus tuum morti est obnoxium; non est quod morbos ad mortem te deducentes timeas. Morbi tibi mortis meditationem, salutarem philosophiam pariunt. Animi tui vitia morbis corporeis curantur. Dediscis philautiam, & mundo longum valedicere, melioremque vitam sperare discis. Ardet magis inuocatio, fides & spes.

3. *Opum terrenarum iacturam metuis?*

Fide Deo, innitere eius sanctissimis promissionibus, veritas utique Dei immota est, potentia insuperabilis, bonitas immensa. Non te deseret.

4. *Mortis pavor timorq; incessit animum.*

Species metus & pusillanimitas.

Seu potius causa.

I. Metus crucis.

II. Metus morbi.

III. Metus iactura opum.

IV. Mortis metus.

Abiice

Abiice timorem, quem incredulitas eliminanda incutit. Confer vitæ huius cursum cum extrema eius periodo: An non perpetua miseria hic agitaris? Si sapis cum sapiente dicis: *Vanitas vanitatum & omnia vanitas.* Ne horreas mortem, quia liberaberis a peccati tyrannide, a mundi insidiis, a Diaboli tentationibus, a rabie falsorum fratrum, & venies e malorum colluie in portum felicitatis. Mors te æterna non tanget, quia vita tibi æterna in Christo apparatus, promissa, collata & obsignata. Crede & vitam habebis æternam.

V. Sata-
na formi-
do.

5. *Perhorrescis Satana insultus?*

Deus suos virtute instruit, vt Satanæ resistant. Fretus Christi capitis tui Sapientia vigilantia, & inuictio robore, diuinum inuocandum numen, cape Christianam patientiam & constantiam cum fidei clypeo, & gladio verbi Dei; Deique gratia & protectione tutus eris.

VI. Pecca-
torum me-
sus.

6. *Peccatis tuis multis & magnis exanimaris?*

En peccatorum tuorum remissio per Christum & in Christo toties tibi promissa, data, & obsignata est, quid trepidas? fide. Vide mihi Dei patris amorem & misericordiam: filii Dei Iesu Christi satisfactionem & interpel-


latio.

lationem, & admitte Ispiritus sancti consolacionem.

VII. Percelleris timore diuini & ultimi iudicii ac tribunalis.

VII. Timor ultimi iudicii

Mitte eum, & penitius introspecte mecum promissiones salutis toties nobis in scripturis factas; caritatem Dei patris erga nos in Christo Iesu; Iesu Christi satisfactionem & in iudicio patrocinium; fœdus Dei gratiæ æternũ & immutabile. Tu vero, quoties peccas, toties renouata fide & pœnitentia respice, fide apprehende gratiã Dei patris, meritum Iesu Christi, & consolacionem Arrhabonis tuæ hereditatis spiritus sancti, afflictiones in mundo hoc variis paciẽti animo susfer, accessum quia habes ad thronum gratiæ, preces ad Deum tuum funde, suspira & spera, & spes illa te non cõfundet, sed in enarrabili in cœlis frueris felicitate. Amen.



MEMBRUM QUARTVM.
PROFICE VLTERIVS

Studio consecrandi iustitiam & virtutem.

A Bnegatæ Iniustitiæ succedat iustitia & sanctitatis consecratio: de-

Affectatione iustitiæ.

G

clina a malo, & fac bonum: ut vitium
in locum vitii immigret. Caue au-
tem in sectanda iustitię & virtutis via,
ne declines vel ad dextram, vel ad si-
nistram.

Progressus
in affecta-
tione.

*Progredere autem in virtutibus, & in
virtute.*

1. Virtutū

1. *In virtutibus. 1.* Has noueris esse
magnum bonum, per se maxime ex-
petendum.

2. Easdem, quia Dei donum sunt
pretiosissimum, ab eo summis vo-
tis & precibus postulandas.

3. Gratias maximas Deo agendas,
si ab eo tanto bono es auctus.

Acquiri-
tur.

Prima tua cura sit, virtutes sanctas
& honestas *acquirendi.*

Conserua-
tur.

Altera cura sit acquisitas *conser-
uandi.* Virtus magna est parua tueri.
Acquires autem & conseruabis.

1. Preci-
bus.

1. *Frequenti pia orationis usu.* Deus e-
nim dat & auget spiritum bonum petenti-
bus se.

2. Ma.

2. *Magno animo, qui afferendus ad
consecrationem iustitiae, virtus enim per
se laboriosa est: natura hominis, nisi su-
stineatur, continenter ad malum procli-
uis.*

2. *Animo
forti.*

3. *Ardente virtutis amore. Vincit a-
mor omnia. Fortis est, ut mors, dilectio, ut
Salomon ait.*

3. *amore.*

4. *Perpetuo usu & exercitatione. Talenti enim istius instar est, quod nullo modo otiosum relinqui vult Deus. In virtutis curriculo qui non pergit, regreditur. In usu autem specta magistrum tuum Iesum, perfectum illud vita & moris exemplar.*

4. *usu.*

*Ambulabis autem, operante
DEI gratia, de virtute in virtutem.*

*Exercebis virtutem propter vir-
tutem.*

*Exercebis virtutem propter Deum
amatum ad eius gloriam.*

II, Progres-
sus in vir-
tute eadē
quomodo
fiat.

II. *In virtute eadem progressus fa-
cies.*

1. *Cum vestigium in primo limine cuius-
libet virtutis fixeris, firmo nimirum vo-
luntatis proposito virtutem consecrandi,
& ad omnem occasionem usu ipso exer-
cenda.*

2. *Cum firmiter ita in proposito illo ac
usu virtutis perseveraueris, ut nullis ten-
tationibus te ab eo deduci sinas.*

3. *Cum, virtutis facies depravata a qui-
dem naturæ nostræ aspera & amara, ita
iam tibi dulcescit, ut non solum nihil te
ab ea possit auellere, sed eius officia magna
cum alacritate & desiderio a te exple-
antur.*

Procedes itaque a virtutis firmo
proposito & usu primo, ad robur eius ad-
uerlus impedimenta; a robore &
fortitudine, impedimenta eius su-
perante, ad alacritatem
conscendes.

IVSTITIA

*Iustitia
affectada.*

In se virtutes continet omnes Adeoq; hic est,

Ipsa virtus Christiana, ipsa pietas, caritas & sanctitas, quæ sanctas & honestas actiones exacte perspicit & alacriter expedit.

Hæc unicuique suum tribuit: Deo suum; Homini item suum.

I. *Iustitia DEO tribuit.*

GLORIAM studio precipue sanctæ & religiosæ PIETATIS. Ergo Glorifica Deum, Gloriam Deo tuo debes.

*quæ r.
Deo suum
tribuit**r. Gloriã
Cur.
Ratione
Dei.*

Specula quæso Deum ipsum.

1. *Natura Dei gloriosissima, optima, maxima, pulcerrima est. 1. Tim. 1.*
2. *Mandato eius obstringeris ad glorificandi obedientiam. Psal. 113.*
3. *Dei promissiones suavissimas amplectere, & ad horrendas eius comminationes exhorresce.*

4. *Actiones & opera Dei contemplare, in quibus virtutes, promissiones & comminationes eius insigniter lucent. Vide quæso*

1. *Beneficium diuinæ creationis & conseruationis; Redemptionis & intercessionis; Sanctificationis & continuationis.*

2. *Admiranda Dei iudicia, magis adoranda, quam scrutanda, semper tamen recta & iusta. Miracula adde.*

Estne finis omnium diuinarum virtutum, mandatorum, promissionum, comminationum & operum, ut Deus glorificetur?

Rom. II.

II. Ratio-
ne nostri.

Specta nos.

1. *En imago Dei, ad quam creati & recreati sumus, quaque communionem habemus cum Deo & virtutibus eius, nos inuitat.*

2. *Votum, quod in baptismo semel fecimus, & in S. cena saepe reiteramus, nos ad Deum glorificandum obstringit.*

3. *Insignis utilitas nos impellit, Gloriam tribue Deo.*

1. *Ex pax conscientie tibi erit.*

2. Bene-

2. Benedictio in omnibus te exhilarabit.
2. Testimonium verae fidei tibi perhibebitur.
4. Pretiosa erit mors tua.
5. Arrhamq; futurae quietis & gloriae caelestis gestabis.
4. Nihil aliud, cogita, esse, quod a nobis possit ad Deum pro omnibus redire, quam ut ipsum glorificemus.
5. Si feceris, simul declarabis tuam erga proximum dilectionem, quem exemplo tuo ad Deum glorificandum incitando lucrifacies.

Gloriam precipuam Deo tribuis studio & usu religiosa
PIETATIS.

II. Pietatem.

Quae de Deo vero recte sentiens eundem rite colis.

Quae

1. Tim. 6. *Ministra in fide pietatem. Sectare, o homo, Dei iustitiam, fidem, pietatem, caritatem, patientiam, mansuetudinem. Est enim quae stus magnus pietas cum animo sua sorte contento. Seneca Necessse est virum bonum, summe erga Deum esse pietatis.*

1. Cogni-
tione Dei.

Consistit autem pietas *in veri Dei cognitione*, & vero cogniti Dei cultu.

Christia-
na Sapiē-
tia.

I. Verus itaque Deus tibi vere est *cognoscendus*, sicut se patefecit in libro naturæ & scripturæ: Et hinc *Sapientia Christiana*.

Ierem. Glorietur in hoc, qui gloriatur, se intelligere & cognoscere me, me esse Iehouam exercentem benignitatem & iustitiam in terra.

Roman. 1. In creatura mundi sempiterna virtus & diuinitas eius conspicitur. Ad legem & ad testimonium, ait Propheta.

Dilcenda hæc sapientia; quæ rudes erudit, dubiis consulit, peccantes corrigit, mœstos solatur, seductos in veritatis viam reducit, denique totam hominis vitam recte instruit.

2. Tim. 3. Omnis scriptura diuinitus inspirata, est utilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem, quæ est in iustitia, ut integer sit Dei homo ad omne opus bonum apparatus.

2. Religio-
so cultu.

II. Recte cognitus Deus cultu religioso tibi venerandus est.

Cultu

*Cultu autem religioso Pie-
tas tribuit Deo,*

*Quo Deo
tribun-
tur debi-
ta.*

1. *Debitam humilitatem, Timorem, A-
morem, spem & confidentiam.*
2. *Inuocationem, exercitium verbi diui-
ni & publicæ religionis.*
3. *Patientiam in cruce, & constantiam in
veritate religionis.*

*Sis itaque pius Deo tri-
buens,*

*Humili-
tatem.*

1. *Debitam erga se HVMILITA-
TEM.*

Animo & corpore submisso & reuerenter
te Maieftati diuinæ subiice, eiusque benefi-
ciis indignum te iudica.

Humiliaberis coram Deo, si Deum crea-
torem, te eius creaturam: si Deum immor-
talem, te vero mortalem; si Deum Dominū,
te feruum; si Deum optimum, te pessimum
confideraueris.

1. Pet. 5. *Humiliamini sub potenti manu Dei,
ut vos extollat, cum fuerit oportunum. Dic
cum Iacobo Gen. 31. Minor sum Domine
cunctis miserationibus tuis, & veritate tua.*

Humilitas hac in te gignet *Obedientiam* erga Deum.

Non sufficit voluntatem Dei nosse, nisi ei moré geras. Dei itaque iussa, quæ didicisti, exsequi annitere.

I. Iohann. 2. *Qui facit voluntatem Dei, manet in aeternum.* Ioan. 13. *Si hæc nouistis, beati eritis, si feceritis ea.* Matt. 7. *Non quisquis mihi dicit: Domine, Domine, ingredietur regnum Dei, sed qui fecerit voluntatem patris mei, qui est in cælis.*

Timorem

II. Debitum **TIMOREM** Deo tribue.

Agnoscent Dei & misericordiam & iustitiam, offensionem Dei verere vt summum malum. Iniecto terrore peccati & pœnæ diuinæ horresce, sed tamen metue Deum non aliter ac filius patrem, quem simul diligit.

Debemus enim Deum timere & diligere. Psalm. 147. *Beneplacitum est Domino super timentes se,* Psal. 1. *Beatus vir, qui timet Dominum.* Non tamen accepisti spiritum seruitutis ad timorem. Rom. 8. *Timorem illum, qui non est in caritate.* I. Ioan. 4.

Amorem.

III. Debitum **AMOREM** Deo tribue.

Agnoscent Dei bonitatem & dilectionem

erga

erga te, Deum tuum vicissim super omnia dilige. Ies. 28. *Diligite Dominum Deum vestrum, ac seruite ei toto corde & toto animo vestro.* Matt. 10. *Qui patrem aut matrem suam dilexerit super me, non est me dignus.*

Operosus est amor Dei, 1. Ioannis 5. *Hac est caritas Dei, ut custodiamus mandata eius.*

1. Amor hic *unionem* facit amati & amanti, ut cum Dauide dicamus: *Sicut desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus.*

*Amoris
propria:*

2. Mutuam secum affert *inhesionem.* 1. Ioan.

4. *Deus est caritas, & qui manet in caritate in Deo manet, & Deus in eo.*

3. Rapit hominem in rem amatam Deum, ut sui oblitus non quærat quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi.

4. Facit hic, ut *cogitemus* assidue & in oculis mentis habeamus Deum. Affectum Deo iungit homo per amorem, quia copulat mentem per cogitationem.

5. Diuinus amor *fortis* est ut mors; superat omnia, ac re nulla ipse superatur.

6. Ita *pascit animam*, ut non *satiet.* Nihil cogitat, nihil quærit nisi Deum, & hunc quo plus inuenit, plus optat.

Vide creaturam. *Omnia vestra sunt,* inquit Apostol: *Vide te ipsum penitius: Vide Chri-*

stum Dominum ex amore tibi datum, & ad Deum amandum conscende.

Spem.

IV. Spem debitam tribue Deo tuo.

Agnosens Dei veritatem, eiusque in te amorem, præsentiam & auxilium diuinum in omnibus futuris placide expecta.

Psal. 37. Deuolue in Iehouam curam tuam, & spera in eo, & ipse faciet. Idem David: Expecta Dominum, viriliter age: expecta Dominum & confortabitur cor tuum. Psalm. 147. Beneplacitum est Domino super eos, qui sperant in misericordia eius.

Spes non confundit. Spera autem a Deo, ea, quæ sub spem cadunt, vt, beatitudinem æternam: omnia necessaria & vtilia ad beatissimam illam felicitatem obtinendam: Misericordiam Dei in omnibus cum efficaci benedictione, & quidem hanc per Christum saluatorem tuum, &c. Spera contra spem sæpe, & pugna contra desperationis spiritum. Spera autem fortiter, constanter, alacriter.

Confidentiam.

V. Confidentiam debitam Deo tribue.

Agnosens potentiam & misericordiam Dei tui in eo firmiter acquiesce cõtra omne periculum.

Ierem.

Ierem. 17. *Benedictus, qui confidit in Domino, & cuius Dominus est fiducia eius.* Sirac. 33. *In omnibus tuis actionibus fiduciam in Deo colloca; nam sic eius etiam expleueris mandata.*

I. **PORRO** cultum debitæ adorationis Deo tribue.

Adorationem.

Agnosce Deum omnipotentem, omniscientem & ubique præsentem religiose appella. Adora autem Deum tuum.

1. *Animi præsentis intentione.*

2. *Indignitatis tuæ agnitione.*

3. *Vero cordis tui affectu.*

4. *Diuina beneficentia desiderio.*

5. *Dei voluntati tuam subiiciendo.*

6. *Inseria resipiscentia.*

7. *Mandatorum Dei consideratione.*

8. *Promissionum diuinarum meditatione.*

9. *Fide certæ exauditionis.*

10. *Fiducia in Christum Mediatorem.*

Eius requisita.

His itaq; misericordiam & auxilium Dei pro necessariis animi & corporis bonis impetrandis, malis vero auertendis, implora. 1. *Thef. 5. Inæsinenter orate: hæc enim est voluntas Dei per Christum erga vos.*

Optima autem precandi formula sit tibi Dominica precatio præscripta a filio Dei, omnia roganda summatim complectens.

II. **Vbi opus est, honorem iuramen-**

Iuramentum.

ti religiosi Deo tribue, & Deū ipsum sermonis tui testem, tanquam *unicum καρδιογρόςιν, cordium scrutatorem* appella, vt testimonium det veritati, & si sciens fallas fallaciam vlciscatur.

Deut. 6. *Dominum Deum tuum timebis, & per nomen ipsius iurabis.*

Gratitudinem.

III. Debitæ gratitudinis cultum Deo tuo debes.

Opera itaque & beneficia Dei cum admiratione & lætitia perpende, commemora, lauda, celebra, extolle; Eique soli accepta refer omnia bona, tam spiritualia, quã corporalia, ac propterea illi gloriam tribue. Die cum Psalte Psalmo 34. *Benedicam Domino, omni tempore, semper laus eius in ore meo.* Immola Deo sacrificium laudis; Et dic Ps. 103. *Benedic anima mea Domino, & noli obliuisci omnium beneficiorum eius.*

Verbi diuini exercitium priuatum

IV. Sermonis & veritatis diuina te nec padeat, nec tædeat, nec pigeat.

Attente potius legendo, meditando, loquendo & cum aliis colloquendo assidue exerceto verbum Dei.

In lege Domini sit voluptas, & in lege eius

me-

meditator die ac nocte, Psalm 1. Sermoq, Christi inhabitet in te opulente cum omni sapientia: docete & commonete vos inuicem. Col. 2. Et attende lectioni. 1 Tim. 4.

De fide oportune interrogatus, aut alia ratione lacessitus, e. S. literis agnitam Dei veritatē, ne erubescas aperto & intrepide profiteri. 1. Pet. 3. *Sitis parati semper ad respondendum cuilibet potenti, ut loquamini de ea, quae in vobis est. spe, Matth. 10. Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego illum coram patre meo, qui in caelis est.*

V. Publica religionis exercitio colere Deum ne desiste:

Stato tempore, in cœtu Christianorum publico, vnitis mentib. conuenias, nec congregationē deseras, nec sanctorum communionem despicias, sed audi, vt decet, verbum Dei, vtere sacramentis, & cum sanctis sancte ora.

Heb. 10. Non deseramus aggregationem nostri mutuam. Omnia in gloriam Dei facite. 1. Co. 10. Et omnia ad edificationē fiāt. 1. Co. 14.

Ritus insuper Ecclesiasticos publicos religioni q. ancillantes obseruato, vt omnia decenter ac ordine, tempore locoque conuenienti fiant. 1. Cor. 14.

A. Denique Deo debes PATIENTIAM impositæ crucis.

*Exercitium
Religionis
publicum.*

Patientia

Placide igitur, fortiter & inuictō animo fertō crucem, qua te filium suū Deus in hac lacrymarum valle castigat atq; probat. Rom. 12. *Sitis in afflictione patientes.* Prouerb. 3. *Fili mi castigationem Dei ne repudies, neq; stoma-cheris cum corripuerit te. Quem enim diligit Deus, hunc castigat.*

*Meditan-
dum.*

*Cur Deus
castiget.*

1. Punit te Deus, ne omni te vacare culpa arbitreris.
2. Vult te magis magisque resipiscere, abii-cere malitiam, sanctimonix studere, vt ve-tus homo crucifigatur, nouus corrobore-tur.
3. Vult futuros lapsus te cauere, ne in secu-ritatem ruas.
4. Alios item vult deterrere a flagitiis, vt ma-ture ad frugem redeant.
5. Seruus & discipulus Christo Domino & magistro debes similis reddi.
6. Deus tentat, hoc est, fidem, spem, obe-dientiam, patientiam, preces.
7. Vult gloriam potentix & misericordix suæ per tuam corroborationem & liberati-onem effulgere.
8. Vult te vitæ terrestris satietate, & cœle-stis desiderio capi.

*Ergo perfer perpetiēda parit patientia pal-
mam.*

CON-

Constantiam in fide & fidei obedientia Deo tribue.

In religioso hoc Dei tui cultu, in fide saluifica, & amore Dei perseuerando vsq; ad extremum vitæ halitum persiste, nec vllas res, siue secundas, siue aduersas te ab agnita cœlesti veritate & pietate depellere patiare.

Apoc. 2. *Esto fidelis vsq; ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Matt. 10. *Qui perseuerauerit vsq; ad finem, saluus erit.*

II. *Iustitia Homini suum tribuens.*

Iustitia homini.

Tribuit aut *homini sibi, aut homini Alii scilicet proximo.*

Tibi suū tribuat.

Tibi itaq; tuum, & proximo suum Iustitia magistra tribue.

TIBI tuum, quod ipsi tibi debes. *Diligere te debes, non odisse, at sancte, vt te ipse cognoscens ad sanctitatem & rectitudinem legi conformē, Dei adiuuante gratia componas & excolas.*

Caritatē & delectationem debitam.

Rom. 13. *Diliges proximum tuum, vt te ipsum.* Ephes. 5. *Nullus vnquam suam ipsius carnem odio habuit, imo enutrit ac fouet eam, sicut & dominus Ecclesiam.*

Anshelm. *Iustitia est animi libertas tribuens unicuique propriam dignitatem, maiori reuerentiam, pari concordiam, minori disciplinam: Deo obedientiam, sibi sanctimoniam, inimico patientiam, egeno misericordiam.*

Iudex ipse sui, totum se explorat ad unguem.

In te igitur descende: Tecum habita, neque te extra te quære. Plautus. Semper hoc facere cogites, id optimum esse, Tute ut sis optimus: si id nequineris, saltem ut optimo sis proximus.

Notitiam
tui ipsius

I. Primo debes tibi *Notitiam tui ipsius.*

Difficilimum quidem est nosse seipsum: at tu audi Apostolum: 1. Cor. 11. Probet quisque seipsum 1. Cor 13. Vos ipsos tentate an sitis in fide. Audi sapientes Christianos. 1. Agapetum. Diuinum hoc est primum præceptum discimus, ut noscat quisque seipsum. Nam qui seipsum nouit, Deum noscet. Qui Deum nouit, Deo fiet similis. Sed Deo fit similis, qui Deo dignus fuerit. Fit autem dignus Deo, qui nihil Deo indignum committit, sed et cogitat res diuinas; et qua cogitat, loquitur, et qua loquitur, facit.

Chrysoft. Sapientis hominis est primum seipsum cognoscere aut contemplari, quid ipse sit, quid infra se, quid intra, quid supra, quid contra; quid ante, quid post se sit: Hac enim con-

sidera-

sideratio fructum habet quadruplicem, utilitatem sui, caritatem proximi, contemptum mundi, amorem Dei.

Bernh. *Nemo absque cognitione sui saluatur, de qua mater salutis oritur humilitas, & timor Domini, qui ut initium sapientia, ita & salutis est.*

2. Tibi a te cognito iure debes tui ipsius sedulam, ad integritatem & sanctitatem, compositionem ac culturam.

Compones autem te ad propriae integritatis sanctitatem, tibi commissorum a Deo & excolendorum **BONORVM** studio, tum interiorum tum exteriorum.

Principio, vbi te noueris, bona tua interiora, Animi & corporis ad rectitudinem Deo placentem reforma.

Iustitia itaque tibi tuum tribuens praecipit:

Ut ante omnia sis sollicitus de animae tuae vitibus recte informandis & instaurandis. Et quidem tum Superioribus tum Inferioribus.

1. Curam bonorū animi tui.

Superiores dico, MENTIS, CON-
SCIENTIÆ, & VOLUNTATIS:

Has bene cura, & non erit tibi
male.

Sapientiã

I. Da MENTI & INTEL-
LECTVI, quod ei debes.

Debes autem menti & ingenio
sapientiam: debes iudicio *prudentiam*.

I. SAPIENTIAM menti afferes, rerũ
diuinarum & humanarum ad vtilis
in vita communi vsus necessariarum
cognitioni & considerationi operã
dando.

Quomodo
sit compa-
randa sa-
pientia.

1. Compara hanc menti tuæ a Deo. Syr. 1.
Omnis sapientia a Domino est. Ex verbo ei⁹: Sy.
1. *Verbum Dei est fons sapientia, eiusq; manda-*
tum origo & aditus est ad sapientiam.

2. Precibus vero eam expetes, cum Solo-
mone dicens: *Da mihi Domine sapientiam*
& intelligentiam, ut ingrediar & egrediar corã
populo tuo.

3. A sapientibus quibus cum conuersaris
eam addisce Prouerb. 13. *Qui versatur cum*
sapientibus, sapiens erit.

Ergo fili mi, ait Syr. 6. cap. *Sapientia temet*
erudiendum prabe a teneris vnguiculis. Sapien-

tia

ta enim filios suos extollit, surg³ studiosos suscipit, eisque iustitiæ viam præit, & amorem Dei demeretur.

II. Prudentia mentem tuam imbues, si bene obseruaueris, quæ agēda sint, id est, expetenda aut fugienda, vt ante & post factum sapias: si delectum habes bonorum & malorum, mediaq; honestarum actionum inuestigas.

Prudentiam.

Memineris hoc Aristotelis: *Hominem ad duas res, ad intelligendum & agendum natum esse.*

At prudentia tibi sit Ianus bifrons, in singulis rebus, quid eas antecedar, quid eas sequatur animaduertens.

Comparabis eam præter Dei gratiã, usu & memoria rerum. Longo prudentia surgit ab usu.

Quomodo comparanda.

Cum deliberas (inquit Isocrates) de præteritis Exemplar rerum futurarum considera. Si enim præteritorum memineris, melius etiam de futuris deliberabis.

In omnibus audi illud Syracidis: *Quicquid agis, prudenter age, & modum rebus in omnibus serua.*

*Profectus
prudentia*

Sic autem in studio prudentiæ ordine proficies.

I. Inito consilium de re agenda vel non agenda. *Omnia prius consilio experire.*

1. *Regula consilii sit diuina lex; ad hanc cogitatio & deliberatio omnis dirigenda. Pſal. 119.*

Consilium meum iustificationes tue,

2. *Hinc oratio ad Deum fusa impetret auxilium eius ad ea cogitanda, & constituenda, quæ eius voluntati sint consona. Doce me Deus facere voluntatem tuam: quia Deus meus es tu.*

3. *Orationem insequatur diligens inquisitio & meditatio eorum, de quibus consilium capitur. Prouer. 9 Labia iusti considerant placita.*

4. *Tibi tuisq; cogitatis ne multum tribuas, ne innitaris, inquit Sapiens Prouerb. 3. prudentia tua (præcipue in rebus propriis, in quibus cœciores sumus.)*

5. *Adhibeto itaq; in rebus grauib; in consilium alios, Prouerb. 8. Sapientia habito in consilio, & eruditus intersum cogitationibus.*

II. *Consilio habito, recte de iis omnibus, quæ in consilium allata, diiudica.*

Hic opus DISCRETIONE, qua discernuntur vera a falsis, certa a du-

biis,

bus, inutilia ab utilibus, intempe-
 ua ab oportunis, honesta ab inho-
 nestis, iucunda a tristibus, bona de-
 nique a malis; Et inter hæc, quæ ma-
 gis minusve bona, & quæ loco, tem-
 pori, personæ, rei agendæ magis mi-
 nusve conveniant: nec quid solum,
 sed quantum, & quatenus, in vna
 quaq; re statuendum & progredien-
 dum sit.

II. Da deinde CONSCIENTIÆ tuæ, quod debes.

Debes conscientia non *ulcera &*
vulnera, sed sanitatem & integritatem.

Comparabis autem tibi & obti-
 nebis bonam & sanam consciētiam
 tribus mediis.

Diligenti præparatione; Remedio &
eius applicatione: denique reforma-
tione conscientia.

I. Uttediligenter PRÆPARES.

1. *Cognosce legē præcipientē faciēda &*
omittēda. 2. Cognosce sententiã iudi-
cialē legis homines ob singula pecca

Prudētiã
 comita-
 tur discre-
 tio.

Sanitatē
 conscien-
 tia

Sic compa-
 rabis.

I. Præpa-
 ratione.

ta maledictos pronuntiantem. 3. *Serio examina conscientiam iuxta legis normam, ex qua quis tuus coram Deo status sit, intelliges.* 4. Hinc tristitia cor tuum feriet ob admissorum pœnam.

II. Remedio.

2. *REMEDIVM tristitia & sananda conscientia aliud tibi monstrare nõ possum, quam sanguinem & meritum seruatoris tui Iesu Christi.*

Quod applicetur.

Hoc vt tibi applicetur opus est
1. Euangelii annuntiatione, quæ est manus Dei gratiam Dei offerens.

2. Deinde *Fide* quæ est manus tua oblatam gratiam recipiens.

Hic vero memineris, vt te vere humilies, & dubitationibus resistas.

III. Reformatione conscientia.

3. *Reformatur conscientia tua, cum accusare & terrorem incutere cessat, & econuerso, excusare incipit, atque testificari tibi, per spiritum sanctum te esse filium Dei, & peccata tua tibi esse remissa.*

II. *Conscientiam bonam vbi acquisi- uisti, vide vt eam conserues & tuearis*

saluam,

saluam remouendo impedimenta, & accomodatis uiendo remediis.

Impedimenta quadam intra te sunt, peccata scilicet propria: tolle itaque ignorantiam seducenem uerbi diuini cognitione: tolle effrænatas & indomitas affectiones, cursum earũ inuertẽdo uel a proximo ad te ipsum, aut peccata tua, uel ad Deum & Seruatore[m] Christum inclinando: tolle mundana desideria diuitiarũ, honorum, voluptatum.

Extra te sunt impedimenta conscientie bonæ Diabolus & mundus immundus, quibus resistendum.

Remedia adhibebis cõscientie tuæ duo. Primo conseruabis & fouebis fidem saluificam. 2. Conseruabis in te constans propositũ & ardens desiderium obediendi Deo in rebus omnibus. Ita curabis conscientiam.

III. Da insuper VOLVNTATIS tuæ, quod debes.

Debes, si amas te, uoluntari tuæ

Conseruatur bona conscientia.

2. Remedium u su.

III. Voluntati frænum regiminis.

sanctam gubernationem sanctaq; prudentia fratrum, ut ductum non carnis, sed spiritus sequens strenue studeat vellet bonum & nolle malum. Phil. 2. Deus autem is est, qui efficit in vobis, ut velitis & efficiatis pro gratuita sua benevolentia.

Syll. prudentia.

Syllogismo, hic tibi fuerit opus, quē vocant, prudentia:

Cuius principia sunt consilium & iudicium, clausula voluntatis electio.

Consilium inuenit, quæ tibi ad præstitutum finē adipiscendum conferunt.

Iudicium iudicat, quæ ex multis propositis eligi debeant. Voluntatis electione volumus & appetim' ea, quæ certa ratione didicimus vsui nostro inferitura; quibus accedens illuminatæ rationis & prudentiæ præceptum, vltimam quasi manum imponit actioni nostræ, ut nihil supersit aliud, quam executio.

Voluntati autem tuæ nihil aliud propositum sit, quam vna Dei volun-

tas

*tas & gloria, ad quam cognoscendum
& te componendum omni studio
comparabis.*

Ita animæ facultates superiores
suum ipsis tribuendo, vt tuū tibi tri-
buas, sanctificabis.

*INFERIORIBVS item animæ
FACULTATIBVS debes*

Sanctam ad rectitudinem reuoca-
tionem, vt sancta sit affectionū tua-
rum commotio.

Moderaberis autem sancta guber-
natione primo facultatem *Irascibile*,
deinde *Concupiscibilem*.

I. IRASCIBILEM animæ POTEN-
TIAM moderaberis & reges virtute
Christianæ *Fortitudinis*, Magnanimi-
tatis, patientiæ, perseuerantiam man-
suetudinis, & humilitatis.

I. *FORTITVDINEM animo*
tuotribue,

*Fortitudi-
nem.*

Qua armet & exciteat ad labores mor-
tisq; picula Christiano robore susci-
pienda & pferenda: vt ira noxiū timo-

rem ex animo pellat, animoque tuo constantem largiatur fiduciam.

Pfalm. 27. Viriliter age, & confortetur cor tuum. Eph, 6. Estote fortes in Domino. 2. Tim. 2. Tu mi fili fortis esto. 1. Pet. 3. Timorem coru ne tenueritis, neq, conturbemini.

Ambros. lib. 1. Off. Non est mediocris, nec discreta a ceteris animi fortitudo, quæ bellum cū virtutibus gerat, sed quæ sola defendat ornamenta virtutum omnium, & iudicia custodiat, & quæ inexpiabili prælio aduersus omnia vitia decernat, inuicta ad labores, fortis ad pericula, rigidior aduersus voluptates, dura aduersus illecebras, quibus aurem deferre nesciat.

Prosper lib. 3. de vita contemt. Animi fortitudo nobis ab illo est, cui cum Propheta cantamus: Fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem. Fortitudo nostra est; quia ita nos contra omnia vitia inuicta protectione corroborat, ut animū nostrum nec blanda dissoluant, nec aduersa deiiciant. Et tunc laus nostra Dominus sit, & c.

*Quomodo
fortis fue-
ris.*

Fortis autem fueris, si ita te habueris ad affectus tuos, ut eos prorsus habeas in potestate, nec tam ab illis inciteris aut mouearis, quam illos ipsa fortitudo seu ipse tu regas & modereris ad nutum. Fortis enim utitur ira in adeundis periculis, sed

ut

ut instrumento, & q. mancipio, non autē
ut Domino, nec ea turbatur eius ratio,
sed inflammatur affectus.

II. MAGNANIMITATEM
animo tuo debes.

Magnani-
tatem.

Ut occupetur in iis rebus, quæ ho-
nore dignæ sunt, honorem autem
per seipsum non quærat, imo nec hu-
manum honorem magnificiat. Ma-
gnus est, qui aeterna concupiscit. Gregor.

1. MAGNANIMVS CRIS, si humano
honore contempto vis & audes magna ad
Dei gloriam, & propter aeternam felicitate-
m in omnium virtutum exercitatione.

Quomodo

2. Si tibi robur accesserit & ardor animi
optantis & obeuntis indies maiora ad Dei
gloriam & hominum salutem: si item in-
uictum te praeberis aduersus eas iniurias
& calamitates, quæ nobis ab hominibus
impendent.

III. PATIENTIAM animo
tuo debes,

Patientiam

Qua mala tibi immissa & susce-

pta, molestias, res aduersas, crucemque, quæ pie & honeste a te non possunt depelli animo non iniquo tolles, sed fortiter sustineas.

*Syr. 2. Obfirmato te ad patientiam: quæcun-
que incident, patienter feras, & patienter tolera
erumnas quasuis. Luc. 21. In patientia posside-
bitis animas vestras. 2. Pet. 1. Ministrare in fi-
de patientiam.*

Infortunatus esse nullus non potest: At ferre fortunam viri tantum est probi. Ad hoc enim sacramentum addicti sumus mortales ferre mortalia. Fer difficilia, ut facilia leuius feras.

*Nobile vincendi genus est patientia, vincit
Qui patitur, si vis vincere, disce pati.*

*Chrysostomus, facit nouem patientiæ gra-
dus: Primus est iniuriæ auctorem non fieri.
Secundus, ubi iniuria facta est, par pari referre
nolle. Tertius, iniuriam non reponere, sed
quiescere. Quartus, præbere seipsum ad
ferendam iniuriam. Quintus, præbere se et-
iam ad maiora, quam vult is, qui facit iniu-
riam. Sextus, non odisse eum; qui facit ini-
uriam. Septimus, inimicum diligere. Octa-
uus, eidem benefacere. Nonus, Deum pro
ipso deprecari.*

IV. CON-

IV. CONSTANTIAM &
PERSEVERANTIAM in bo-
no debes animo tuo.

Constan-
tiam.

Vt in proposito honesto ac lauda-
bili perseueres, & æquabiliter eandē
semper mentem ac voluntatem re-
tineas, ne vel rebus secundis extol-
laris, vel aduersis frangaris, vel a bo-
no ad malum defleas.

Per hanc poteris superare difficul-
tatem diuturnitatis, moderariq; ti-
morem defatigationis, aut defectio-
nis virium, quib. obnoxia esse potest
actio virtutis longinquitate pducta.

Tribue hanc, dante Deo, animo
tuo, vt ei sit voluntas perseuerandi in
actione virtutis incoata, donec per-
ficiatur tota.

Ora Dominum, & dicet tibi, Ies. 41. *Ego
Dominus Deus tuus, apprehendens manū tuam,
dicensq; tibi: Ne timeas. Ego adiuu te. Noli
timere vermis Iacob. Ipse eriget remissas manus
& soluta genua, & rectos faciet gressus pedibus
tuis.*

Sed firma sit voluntas in persistēdo

in fide & fidei actionibus, & resiten-
do iis, quæ aduersantur. Aduersatur
autem primo *Diabolus*, cui resiste for-
tis in fide. Secundo *ipsa temporis diu-*
turnitas inanem timorem iniiciens. In
Deo tuo omnia poteris. Tertio *Mun-*
us plerunq; territat suis laruis & ex-
emplis auertit.

Tu vero labora & erit merces: de-
fatigatū quies excipiet. Spera. Spes
te non confundet.

Mansue-
tudinem.

V. *MANSVETVDINE ani-*
mm tuum imbue.

Quæ vim eius irascendi ita com-
pescat, ne vim faciat rationi, eamue
a statu suo dimoueat, teque faciat ad
veniam, quam ad vindictam prom-
torem.

Ira.

Mansuetudine itaq; *ira* refrænand-
a tua est.

Eph. 4. *Ambuletis cum omni mansuetudi-*
ne & humilitate. Tim. 3. *Modesti omnē man-*
suetudinem ostendite omnibus hominibus. Item.
Exhibeamus nos in multa patientia, longanimi-
tate & suauitate, in spiritu sancto.

Man-

Manfuetudine refrenetur *vindi-* *vindicta.*
cta ex ira progrediens.

Eph. 4. *Cum patientia supportate vos inuicem.* Col. 3. *Condonantes, si quis aduersus aliquem, habet querelam.* Rom. 12. *Nulli malum pro malo redde.*

Si fueris mansuetus, Deo gratus fueris. Psalmo. 147. *Suscipit mansuetos Dominus, horum audit orationes, qui mansueti sunt.* Iudit. 9. *Humilium & mansuetorum semper tibi placuit oratio.* His filium misit, Ies. 61. *Ad annuntiandum mansuetis misit me.* His gratiam suam largitur. Prouerb. 3. *Mansuetis dabit gratiam.* Hos dirigit in omni actione. Psalm. 25. *Diriget mansuetos in iudicio, docebit mites vias suas.*

VI. HUMILITATEM debes
 tuo animo.

Humilitatem.

Quæ faciat, vt ob bonorum copiã & præstantiam non superbias, sed propriam agnoscens infirmitatem, nemini te anteponas.

1. Pet. 5. *Omnes inuicem humilitatem insinuate, modestia estote intus ornati: Nam Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.*

Humiliamini igitur sub potenti manu Dēi, ut vos extollat in tempore.

*Syr. 3. Fili mi, demissum te gere, accommo-
da te humilibus. Hoc enim melius est, quam to-
tum hoc, quod mundus conſectatur. Quo maior
es, eo gere te demissius, & Dominus tibi faue-
bit. Nam Dominus est altissimus, & tamen ma-
gna per humiles & afflictos operatur.*

*Nihil conferendum, ait Chrysoſtomus, hu-
militatis virtuti. Ipsa enim mater est; radix &
altrix, & facultatum, & vinculum bonorum.*

*August. Si velimus peruenire ad fastigium
caritatis, prius cogitandum de fundamento hu-
militatis.*

*Basil. Humilitas est tutissimus virtutum o-
mnium thesaurus.*

*Anselm. 7. gradus humilitatis numerat,
quorum primus est, contemtibilem se esse
cognoscere: Secundus, de hoc dolere: Tertius
hoc confiteri; Quartus, hoc aliis persuadere
tempore & loco Quintus, patienter sustinere,
dum id aliis dicitur: Sextus, æquo animo fer-
re se contemtibiliter tractari. Septimus, hoc
ipsum gratum habere, appetere & amare.*

*Magnum itaq; robur animo insit oportet,
ut hos gradus ascendat. Magna licet operan-
tem, magnum te nescias. Humilis euades, si
humana contempnes, & tuæ constitutionis
initia considerabis.*

II CONCVPISCIBILEM animæ
POTENTIAM moderabitur TEMPE-
RANTIA per *Abstinentiam* & *Conti-*
nentiam.

I: TEMPERANTIAM animo
tuo debes,

Tempe
rantiam.

Qua coerceas & cohibeas cupi-
ditates, voluptates, & delectationes
corpōris, a quib. quod nobis natura-
les sint, difficilius nos abstrahimus.

Excitet autem in te voluntatē mo-
derandi appetitum voluptatis:

1. *Quod corporis voluptas impediatur, ne*
se Deus per verbum suum immittat in a-
nimum hominis, eumq. ad se trahat & con-
uertat.
2. *Quod sit inanis, fluxa, momentanea,*
sit vanitas vanitatum.
3. *Quoad ipso momento temporis, quo suis*
illecebris hominem voluptas irretit, tan-
to cū veneno dicamne an vi suavitatis sue
animū capiat, ut illi plane dominetur. Vi-
de igitur ne regnet peccatum in mortali
corpore tuo.

Pugna aduersus tyrannidem voluptatum, quæ velut immanes quædã belluæ animũ hominis rationemq; suffocant, si in tempore non occurratur illis. Seneca:

Facilius est initia affectuum prohibere, quam impetum regere. Pete igitur q. gladio iugulum voluptatis.

Sobrietate,
abstinentiam

II. Abstinentiam & Sobrietatem tibi, si amaste, asserere ac tribue,

Ut potentiam animæ tuæ Nutricem in sancta affectione, & moderato vsu cibi potusq; contineas.

Ecclesiast. 31. Utere quasi frugibus, quæ tibi apponuntur; ut non cum manducas multum, odio habearis.

Eccles. 10. Beata terra, cuius Principes comedunt in tempore suo ad reficiendum, & non ad luxuriam. Qui autem abstinens est, adiiciet vitam. Cap. 31. Exsultatio animæ & cordis vinum moderate potatum: Sanitas est anima & corpori sobrius potus. Ne igitur grauetur cor tuum crapula, ebrietate & curis huius vite
Luc. 21.

Ineun-

Ineundum autem tibi est certamen graue tecum ipso, cum corpore & appetitu tuo, quem vincere, vt difficile, sic gloriosum. Deinde cum Diabolo, qui carnis tuæ causam interna tētatione, quasi iustum patrocinium accipit.

III. Continentiam, & Castitatem, tibi, si modo bene tibi vis, fac tribuas, fac excolas.

Continentiam, castitatem.

Vt potentiam animæ tuæ Generatricem in sancta affectione, & concessio diuinitus vsu contineas, sæpe illud tecum:

Eph. 5. Hoc scitote intelligentes, quod omnis fornicator, aut immundus, aut adulter non habeat hereditatem in regno Christi & Dei. Mat. 5. Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est in corde suo. 1. Cor. 6. Nescitis, quod corpora vestra, sint membra Christi. Tempula spiritus sancti, vasa honoris. 1. Tes. 4. Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra, vt abstineatis vos a fornicatione, & sciat vnusquis-

que vestrum vas suum possidere in sanctificatione & honore.

Hieron. Grandis fidei est, grandisq; virtutis, Dei templum esse purissimum, totum se holocaustum offerre Domino, & sanctum esse corpore & spiritu.

II. Cura
bonorum
corporis,

Ita ANIMI BONIS tibi studendū est: BONORVM CORPORIS curam quoque suscipias, per sanctum studium sanitatis ad corporis conseruationem.

Nempe sa-
nitatis &
valetudi-
nis bona
cura

Si te amas, Cura valetudinem corporis tui, vitamq; ac sanitatem, quā in te est, tuere, vt sarta recta maneat. Valetudini tuæ præcedens Téperantia per Abstinentiæ & Continentiæ virtutem, mirum quantum conducit.

Læsasi fuerit valetudo, adhibe medicinā, cuius vi morbi profligantur.

Syr. 38. Fili mi, attente considera, quid conducatur corpori tuo, & quid ledat valetudinem tuam, eoque non utaris. Honora medicum digno munere, vt eo utaris in necessitate.

Cap. 30. Sanitas & bona corporis habitudo quouis est auro præstantior, & valens corpus immensis opibus. Plura lege cap. 38.

Ex-

EXTERIORIBVS, quæ fortunæ dicuntur, BONIS si amas te, tibi studendum: qualia præcipue sunt HONORES & OPES.

Vtraque bona tua externa Moderator & regat sancta *αὐταρξεία* & *sufficiencia*.

Vt tuo demensio, bonis, statu, honore & opibus tibi a Deo concessis, grata erga Deum mente contentus acquiescas, nec sollicitè amplius desideres.

1. Tim. 6. Est questus magnus pietas cum animo sua sorte contento. Syr. 31. Homo moderatus paucis est contentus. Cap. 42. Sis contentus presentibus.

Disce igitur cum Apostolo Paulo. Phil. 4. qui, didici, inquit, iis, in quibus sum, esse contentus, noni humilis esse, & excellere, ubique, & in omnibus institutus sum, & saturari & esurire, & abundare & penuriam pati.

I. *Honorum tuorum moderatrix Modestia.*

Qua honores tibi conuenientes, qua fas, decore appetas, prosequaris, & tuearis.

III. *Cura bonorum fortuna.*

αὐταρξεία

Modestia

Phil. 4. *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus.* Phil. 2. *Ex modestia alium quisq; se prestantiorem existimet.* Syr. 1. *Quo maiores, eo tegere demissius.*

Da interim operam, vt pietate, virtute & honestis artibus apud alios tibi bonam famam compares, quæ est honesta aliorum de nobis propter virtutem existimatio.

Rom. 12. *Procurate honesta in conspectu omnium hominum, si fieri potest.* Phil. 4. *Si qua laus, hæc cogitate. Melius est bonum nomen, quam diuitia multa,* inquit sapiens.

Industria,
Labor,

II. Opum & facultatum tuarum Rectrix sit

I. In earum Acquisitione PIA INDUSTRIA.

Pia, dico. ORA. Omnia cum precibus feruida cura potest.

Industria, LABORA. Labor omnia vincit improbus.

Cœlestem itaque, a Numine inuocato expectans benedictionem, officio vocationis tuæ recte defungitor, seduloque ad parandas facultates

rates

tates labora, vt labores manuum tuarum manduces.

II. In earum usu, Rectrix sit

1. Sancta possessio, vt iuste acquisitas facultates teneas, iisque dominaris, quam diu Deo visum fuerit.

Iusta possessio.

Prouerb. 5. Tu Dominus esto tuorum fontium solus, non alieni tecum.

2. Frugalitas, vt facultatibus tuis, quas possides, vtaris fruaris, sumtus facies opibus tuis tolerabiles, & vitæ tuæ generi honestos ac necessarios.

Frugalitas.

Prouerb. 10. Iustus utitur facultatibus suis ad vitã. Syr. 14. Benefac tibi ex bonis tuis. Deus enim replet bonis os tuum, Psalm. 103.

TRANSITIO.

Sic igitur conseruanda Iustitia, vt te sancte amando tibi tuum, animo tuo suum, corpori item suum, externis bonis suum, quod debes te sancte tribuas.

Iustitia proximo suum tribuit, Scilicet

Sed soli tibi non es natus: Proximũ tuũ diliges, sicut te ipsum. Cum proximo tibi conuersandum.

Caritatē.

Huic debes *caritatem*, ut familiaritatem colas & societatem in vita cōmuni foueas.

Quis proximus.

Nota hic duo. 1. *Proximus tuus est* quilibet homo, siue amicus, siue inimicus: siue diues, siue pauper: siue domesticus, siue extraneus; siue notus, siue ignotus, in primis, qui nostro auxilio eget. *Luc. 10.*

Præcipui autem inter proximos sunt Christiani, eandem nobiscum religionem professentes, ideoque in primis diligendi. *Gal. 9.*

Communis caritatis regula.

2. Regula communis esto: *Omnia quaecunque volueris ut faciant tibi homines, ea & vicissim tu facito illis.*

Distributio.

II. *IUSTITIA proximo tum tribuat, tum retribuat suum.*

Tribuat primo suum proximo *viuo*, deinde *Mortuo*.

VIVO tribuat aut *cuius*, aut *cuidam* suum.

CVIVIS tribuendus tum internus animi Christiani *affectus*, tum externus etiam *affectus*.

Debes: tribue.

1. *Animū debes proximo, & ex eo quidē,*

I. Bene-

I. BENEVOLENTIAM. Omnem hominē, qua homo, & qua Dei, beneuolo animi tui affectu prosequere. Cupidus & promptus sis commodanti proximo tuo, non minus, quā tibi & tuis rebus.

Animi benevolentiam.

II. *Christiana concordia studium.* An nitere, quantum in te est, cum omnibus colere pacem & concordiam.

Cōcordia studium.

Rom. 12. *Si fieri potest quantum in vobis est, cum omnibus hominibus pacem habete.*

II. *Effectum* animi beneuoli, *Res* & *Opus* debes proximo, vt ei exhibeas in conuersatione, & in vita tua. 1. *Humanitatem.* 2. *Ciuitatem.* 3. *Beneficentiam.*

I. HUMANITATIS *Ius* tu ipse homo, nulli vnquam hominum dene ges.

Humanitatem.

Sed internam benevolentiam erga homines externo gestu & verbis significa; Vnde iustitia te humanū & comem erga proximum esse præcipit: In alloquendo, in audiēdo, in respondendo, in conuersando facilem & tractabilem te præbe.

Colof. 3. *Induite comitatem.* Eph. 4. *Sitis inuicem, alius in alium comes.* Rom. 15. *Vnusquisq; nostrum proximo suo placeat in bonum.*

Ciuitatem.

II. *Ciuitatis, in congressibus, ne sis immemor: Mores sint compositi, conuersatio decora.*

Modere autē Ciuitas Magistra *Sermonem, tum gestum: debes. n. proximo Sermonē & gestū conueniētem.*

I, Sermonis.

I. *SERMONEM* ita regat, vt primo scias linguam tempestiue & decore continere: Deinde sermonem recte habere.

scilicet,

Taciturnitatem.

1. *Tempestiua* nonnunquam opus est, & decora *Taciturnitate*, qua mentis sensa contineas.

Cogites igitur prius *de quib. rebus, ad quas personas, quibus verbis, quo loco, quo tempore, quoq; sono, sermo sit habendus aut non habendus: quid, cui, quo loco & tempore sit tacendum.*

Syr. cap. 18. *Sermonis tui trutinam confice, & ori tuo fac ianuam & vectem, & attende, ne quando labaris illis, & concidas coram insidiatore.* Ora ad Deum ex Psalmo 141. *Compone Iehoua, observa os meum, custodiens moderare, quicquid offerunt labia mea.*

2. Non.

2. Nonnuquam sermo est ad proximum habendus, & animi sensa foras proferenda: at recte. Vide itaq;
 1. Ut ponderes res, de quibus loquaris. 2. *Species* personas cum quibus. 3. Verba quoque libes. 4. Tempus & locum consideres. 5. Pronuntiationem decenter temperes.

ὁμιλητικὴν.

Habendum sermonem præcipue gubernat *Veritas* cum suis comitibus. Hanc enim debes proximo tuo.

In sermone veritatem.

VERITATIS itaque sis in omnibus observantissimus, & res sicut se habent iuxta cordis sensum & rationis dictamen proximo tuo enunties.

Zach. 8. *Loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo.* Psalm. 15. *Qui loquitur veritatem de corde suo, nec agit dolum in lingua sua, hic habitabit in tabernaculo Dei.*

VERITATI adiunge *locias*. Comiterur eam primo *Cādor*, deinde *Fides*. Vtrumq; debes proximo tuo.

Candorē.

i. Aperte ac ingenue cum proximo age, quæ a te sunt recte accepta profer, audita candide interpretare.

2. In dictis & conuentis proximo tuo serua fidem & constantiam.

Syr. 5. *Ne agiteris a quouis vento, sed in verbis tuis sis constans.* Prouerb. 27. *Serua amico tuo fidem.*

Ingestu
Gravita-
tem.

II. *Gestus tuos apud proximos moderetur Christiana GRAVITAS, vt ad sanctum decorũ cuius conueniens componantur.* Hæc regula tua sit: *Talem te habitu & gestu exhibeas, qualis discipulis videri: Et, Talis reuera sis intus, qualis apparere exterius satagis.*

Beneficen-
tiam.

III. *Beneficentiam & liberalitatẽ tuo debes proximo:*

Ergo pro viribus tuis proximum ope & opera tua iuuabis, bona tua, quæ potes & debes cum eo communicabis.

Prouerb. 5. *Deriuentur fontes tui foras, & in plateis aquas diuide, sed tu maneat eorum Dominus.* Gal. 6. *Benefac omnibus, maxime autem domesticis fidei.* Mat. 5. *Benefacito his, qui oderunt te.* Syr. 14. *Iuxta vires tuas subueni pauperi.* Syr. 5. *Dato libens & vultu sereno. Hilarẽm datorem diligit Dominus.*

Gratificati-
onem.

Beneficentiæ tuæ adde Gratificatio-

nem

nem Christianam, qua studius & officiis tuis laudabiles proximi tui conatus confirmes; vt ad finem sibi bene propositum contendere possit. De tuo itaq; lumine alteri accende lumen, monstra viam erranti, da fidele consiliũ, liberaliter communica rerum bonorum doctrinam, adiuumento sisei ad consequendam functionẽ honestam, aliasq; res necessarias.

CVIVIS hęc debes: **C**VIDAM vero, nempe certo proximo, debes itẽ *Affectum & Effectum.*

I. *Misero proximo debes Sympatheian & commiserationem, seu affectum Misericordie.*

Cuidam

vt Misero Misericordiam.

Condoleas ergo proximi tui miserie ex serio caritatis sensu, eiq; discupe subuenire.

Colof. 3. *Induimini vt electi Dei sancti miserationum visceribus.* 1. Pet. 1. *Omnes estote concordēs mutuo molestiarum sensu affecti, fraternæ præditi caritate, ad misericordiam proni.*

II. *Effectum* etiam debe, cum affectu nonnullis Tribue suũ vni cuiq; certũ.

1. *Superioribus* Reuerentiam & Obedientiam.

2. *Pauperibus* Eleemosynam.

3. *Peregrinis* Hospitalitatem. Debes enim illis:

*Superiori
Reueren-
tiam.*

1. *Superioribus* te tribue, primo REVERENTIAM seu OBSERVANTIAM, qua homines te ætate, statu, donisæ superiores cultu suo & honore veneris.

Rom. 13. *Reddite omnibus debita, honorem, cui honorem.* Syr. 10. *Qui timet Deum, honorat principem suum.* Leuit. 19. *Coram cano capite surge, & honora personam senis.*

*Obedien-
tiam.*

Deinde OBEDIENTIAM debes legitime tibi imperanti, vt legitimum superioris mandatum audiamus, ei que satisfacere studeamus.

Sam. 15. *Melior est obedientia, quam victima.* Hinc Gregor. *Per victimas aliena caro, per obedientiam propria voluntas mactatur. Propria autem voluntas propter Deum alterius voluntati subiicitur. Christus ne obedientiam perderet, perdidit vitam,* ait Bernh.

*Pauperi
Eleemosy-
nam.*

II. *Pauperibus* tribue Eleemosynam, vt eorū inopiam subsidio tuo iubleues.

Cyprianus. *Ita frequens est inter Christi*

præcepta

præcepta ut nihil crebrius mandet, quam ut insistamus elemosynis dandis, nec terrenis possessionibus incuibemus, sed cœlestes thesauros potius recondamus. *Vendite, inquit, quæ possidetis, & date elemosynam.* Et iterum: *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra; Si vis perfectus esse, vade, & vende uniuersa, quæ habes, & da pauperibus.* Denique, *Abrahe filios dicit, quos iuuandis alendisq; pauperibus operarios cernit.*

III. Peregrinus debes HOSPITALITATEM, qua hospites bonos, nihil mali tibi tuæq; existimationi afferentes excipias, & benigne foueas, ut recreentur.

Rom. 12. *Hospitalitatem sectemini.* 1. Pet. 4 *Sitis hospitales inuicem sine remuneratione.*

August. *Disce Christiane, hospitalitatem exhibere: ne forte cui domum clauseris, cui humanitatem negaueris, ipse sit Deus.*

Hæc tribue uiuis proximis: & mortuorum debitorem te esse memineris: his pietatis officium præstes ultimum.

Ut enim ægrotantes & moribundi sunt visitandi: ita defunctis iusta sunt facienda, debes quippe eis luctum & sepulturam.

Hospiti peregrino hospitalitatem.

Mortuæ luctum & sepulcrum.

Syr. cap. 38. *Si quis moritur, deplora & luge
eum, ut in dolore acerbo &c. Circumligato cor-
pus eius, & ut honeste sepeliatur, procurato.*

Retribue.

*Ii. Hæc ita tibi ues, ut homo, & ut
Christianus uiuis & mortuis: Respi-
ciendum porro tibi est ad *merita &
accepta, ut RETRIBVAS.**

Postulat itaq; iustitia, ut quod de-
bes iis, qui tibi tribuerunt, iuste suum
retribuas, & rependas.

Amico

Amicitia

*Retribuere autem iure teneris Ami-
co tuo Amicitiam: & bene de te merito
Gratitudinem.*

*I. Amicitiam retribuïs, si ex beneuo-
lencia & humanitate mutuum retri-
buis amico amorem.*

Redde igitur pro vera beneuolē-
tia veram beneuolentiam; præstaq;
mutua officia, honesta & possibilia.

Adiunges vero animum tuum iis,
in quibus uideris veram pietatem &
serium virtutis studium, ut coale-
scat ita in uobis bonis quasi vnum
cor.

Syr. 9. *Adiunge te bonis hominibus, & le-
tarecum eis. Cap. 6. Firmus amicus est for-*

is munitio, hunc qui habet, thesaurum magnum possidet, Cassianus: Hæc est amicitia fida, indissolubilisque coniunctio, quæ sola virtutum paritate fundatur. Dominus enim inhabita-
refacit unius moris in domo. Et idcirco in his tantum indisrupta potest dilectio permanere, in quibus unum propositum ac voluntas, unum velle ac nolle consistit.

II. GRATITUDINEM exhibes pro ximo de te bene merito, ubi ipse iucundam accepti beneficii memoriam signis cum voluntatis tuæ facti declaratam retribuisti.

1. Gere itaque erga beneficos tuos animum ad beneficiorum acceptorum recompensationem, & bene precandum promissimum.

2. Si potes, beneficia tibi exhibita donis & officiis repende.

Colos. 1. Estote grati. Chrysosto. Optima beneficiorum custos est ipsa memoria beneficiorum & perpetua confessio gratiarum. Bernardus. Danti rependi quæquam gratus ab accipiente non potest, quam si gratum habuerit, quod gratis accepit. Nam spiritui gratia contumeliam facit, qui beneficium aantis grata mente non suscipit.

Bene de tu
merito
Gratitu-
di em.

Breuis re
capitula
tio.

Atque ita, abnegata iniustitia, af
sectare iustitiam.

Ita, inquam, **INCIPE**
Ingredi viam salutis tuæ
Conuertendo te
A Malo ad Bonum

NE DEFICE

In via tentationum mole graua-
tus:

SED PROFICE

Abnegando te ipsum,
Et

affectando Christum in

Via sanctarum virtutum:

1. Proposito firmo acquirendæ vir-
tutis.
2. Fortitudine virtutum impedi-
menta suspirante.
3. Suavi declinatione in virtutis pos-
sessione.
4. Examine quotidiano profectus
sui in via virtutum.

EPI



EPILOGVS

Continens

*INCENDIVM ET
calcar virtutum.*

Pietatis & caritatis Christi-
anæ studio incendaris,
Homo.

I. Rationibus Christianorum.

1. Alliciat te sanctissimus & gloriosissimus
Deus virtutum suarum perfectione,
cuius gloriæ inferuire debes.
2. Illiciat te ad sanctitatem æterna. Dei co-
gnitio, qua præcognitus es.
3. Attrahat te Amor Dei gratuitus, quo di-
lectus es, Misericordia & gratia Dei,
qua te præuenit.
4. Allectet te sancta tui prædestinatio ad
vitam primo sanctam seu inculpatam,
deinde æternam.
5. Memineris te a Deo creatore tuo esse cõ-
ditum ad sanctitatem & iustitiam.

*Rationes
Christia-
norum.
Breuiter
dictæ & lati-
us consido-
ra.*

6 Inuitet itaq; te imago Dei patris & conditoris tui, quam referre debes. & non degener esse filius.

7 Inuitet te mirabile beneficium diuinæ conseruationis & gubernationis, qua mirabiliter ad hanc horam vsque custodiris.

8 Flectat te ad pietatem ineffabilis patris dilectio qui vnigenitum tibi dedit, & pro te in mortem, filium.

9 Adducat te ad sanctam obedientiam inæstimabile beneficium redemptionis tuæ, redemptus es vt gratiam referres.

10 Inflammet animum amore caritatis exemplar perfectionis & caritatis Iesus Christus, cuius vestigiis insistendum.

11 Ducat te dignitas vocationis tuæ ad sanctitatem vitæ; nō enim ad impuritatem, sed ad tui sanctificationem es vocatus.

12 Memineris te Deo tuis peccatis offenso per Christum esse reconciliatum, tibi peccata remissa, vt iustitiæ & Deo viuas.

13 Inducaris dono S. spiritus, vt pietati studeas: hic tibi dat, vt te sanctificet: offēsis cōtristat.

14 Impellat te ad studium Christianæ caritatis Dei Opt. Max. mandatum, cuius voluntas est sanctificatio tui.

15 Vocet te ad obedientiam sanctitatis ratio officii Deo debiti, vt gratitudinem tuam erga ipsum testeris. Debitor Dei es.

- 16 Incitet te quotidie incoata tui renouatio,
qua homo nouus es arbor bona fructus bo-
nos proferens. Natus ex Deo non peccat.
- 17 Procreet, excitet, acuat, tueatur *Fides* tua;
si viua est, virtutis studium. Absq; operibus
fides mortua. Ostende fidem ex operibus.
- 18 Accendat animum tuum sanctimonia,
lumen & cognitio voluntatis & mysteriorū
Dei, scis Dei voluntatem: Facias eam.
- 19 Debes Deo tuo sacrificium cultus, fidei
sale conditū, spiritus sancti igne accensum,
merito Christi sanctificatum: Perfolue.
- 20 Templum es spiritus sancti, quo vnctus,
& inductus Dei iustitiā, mente, ore, vita lau-
des Dei ebuccina, sit sanctū hoc templum.
- 21 C lcaria adhibeat pietatis cursui spiritus
sancti cōsolatio, qua in studio virtutum cur-
rens & in precibus tuis reficeris.
- 22 Ignes adhibeat sanctitati optatissimæ il-
la bonæ conscientix tranquillitas, & inte-
rius mentis cordisque gaudium, quo in vir-
tut frueris.
- 22 Amoueat stimulos pietatis studio in-
gens vtilitas: quippe pietas habet promissio-
nes vitæ præsentis & futuræ.
- 24 Spes fructus insignis te stimulet: proxi-
mum pietate subleuabis: Deum glorificabis:
aduersariis tuis os obturabis.
- 25 Moueat te vitæ tuæ incertitudo, &

- mors vbi que tibi insidians: Bene viue vt bene moriare.
- 26 Commoueat te ad pietatem Christi illud tribunal & vltimū iudiciū, coram quo sistendus redditurus rationem vitæ.
- 27 Compellat te ad fidei obediētiam terror cruciatuū infernalium, quibus omnes inobedientes excarnificabuntur.
- 28 Impellat te in viā iustitiæ vita & gloria æterna, vbi Deo præsentē, eiusque bonis celestib. summo cum gaudio frueris.
29. Conciteris serio iustitiæ studio, eo quod affectando iustitiam, laudem viri iusti, qui est pupilla oculorū Dei, cōsequaris.
- 30 *Iustus* si fueris, beatus fueris: Arbor scilicet plantata illa ad riuos aquarum, ferens fructus, & permanens immarcescibilis. Palma florens, cedrus plantata in domo Domini.
- 1 Vere eris nobilis ex Deo natus, Dei filius.
- 2 Eris imago & similitudo viua viuentis Dei.
- 3 Christi sponsa eris pulcherrima & dilectissima.
- 4 Altissimi Dei delicia & amores vocaberis.
5. Eris tabernaculum & templum viuum viuentis Dei.

Laus &
privilegiū
iusti.

- 6 Sacrarium quoddam eris Spiritus sancti.
- 7 Lux splendens procedes, & cresces vsque ad perfectam diem.
- 8 Rebus caducis spretis & conculcatis super cœlos gradieris.
- 9 Impavidus, diuini auxilii certus, certam vbique sperabis salutem.
- 10 Iniurias æquo animo feres, easque libenter condonabis.
- 11 Vera perfrueris pace & animi tranquillitate.
- 12 Veris item gaudiis & voluptatibus perfunderis.
- 13 Omni solidorum honorum genere dignus fueris.
- 14 Gloriosus veneratione & laude exsistes.
- 15 Pulcerrimus eris, virtute & Christo pulcerrimus.
- 16 Vere eris diues, cum nihil vnquam deerit.
- 17 Tua caussa Deus verbi & aliis benedicet.
- 18 Tibi iusto nulla creatura nocebit, omnis seruiet ad bonum.
- 19 Tui iusti caussa omnia facta sunt, & conseruantur.
- 20 Ipse Rex regnum Dei in te habebis.
- 21 Tibi omnia feliciter succedent.
- 22 Res etiam aduersæ statum tuum reddent felicissimum.

- 23 Deum tibi protectorem, custodem & vindicem tui habebis.
- 24 Deo in præcipuis curis eris, quem Doctorem & ductorem habebis.
- 25 Consuetudo & usus tibi cum Deo & eius angelis intercedet.
- 26 Vera libertas te liber soli Deo & Christo inferuies.
- 27 Deum amicum habebis, a quo quod petieris, obtinebis.
- 28 Dona tua Deo tuo erunt gratissima.
- 29 Cœlesti ciuitate donatus sanctorum cōciuis eris.
- 30 Miles Iesu Christi in Christiana militia fortiter, & honeste pugnabis.
- 31 Dei filius æterni regni heres eris.
- 32 Eris in Deo & Christo, & Deus Christusque in te.
- 33 Vitam longævam & beatam in fide filii Dei, viues.
- 34 Omnis in te beatitudinis ratio erit, idoque omni ex parte beatus futurus.
- 35 Mors tibi non formidanda, sed beato tibi expectabitur læta.
- 36 Certam ab omnibus inimicis tuis deportabis victoriam.
- 37 Moriens in æternum non morieris.
- 38 Ingressurus cœlum gloriæ & honore cœlesti coronaberis.

39 In iudicio vniuersali laudibus iudicis
Christi exornaberis.

40 Vna cum Christo mundum iudicabis,
cum Christo & omnibus beatis glo-
riofissimum ages triumphum.

II. Inuitamentis & exemplis
ipsorū ETHNICORVM exsusci-
teris. Erubescas, O homo
audiens SENECAM.

V TOR, inquit Seneca, hac potestate, & quo-
tidie apud me causam dico. cum sublatum
est lumen, & conticuit uxor moris mei iam con-
scia, totū diem mecū scrutor, facta ac dicta mea
remetior. Nihil mihi ipse abscondo, nihil trāseo.
Quare enim quidquam ex errorib⁹ meis timeā.
cum possim dicere, vide ne istud amplius facias:
nunc tibi ignosco. Iam.

Quid pulcrius hac consuetudine excutiendi
totū die. Qualis ille somnus, post recognitionē sui
sequitur? q̄ iranquillus, altus ac liber? Cum aut
laudatus est anim⁹, aut admonitus, & speculator
sui censorq₃, secretus indicat de morib. suis? Idē

Ergo Quantū potes, te ipsum coargue, in-
quire in te: Accusatoris primum partib. fungere,
deinde iudicis, nouissime deprecatoris, aliquando
etiā te offende: libēter. n. errat, qui se errare nescit,
nimisq₃ se amat ipsum, qui alios vult errare, ut
error suus lateat,

I. PIETAS IN DEVM.

SENECA.

- 1 Necesse est Virum bonum summæ erga Deum pietatis esse.
- 2 Deos colite propter maiestatem eximiam, singularemque Naturam.
- 3 Primus Deorum cultus est, Deos credere; deinde reddere illis maiestatem suam, reddere bonitatem: scire illos esse, qui præsident, qui vniuersa vi sua temperant, qui humani generis tutelam gerunt.
- 4 Deum colit, qui nouit: nec vnquam satis profectum erit, nisi qualem debet, mente conceperit, omnia habentem, omnia tribuentem, beneficia gratis dantem.

NB.

Epictetus. *Si sani simus, quid aliud nobis agendum, & publice & priuatim, quam numen celebrandum, & laudandum, & gratias persol- uendum est? Nonne & inter fodiendum, & in- ter arandum hymnus hic cantandus est Deo? Magnus est Deus, qui nobis instrumeta hæc, qui- bus terram colimus, dedit. Magnus Deus, qui no- bis manus dedit, qui vim deglutiendi; qui stoma- chum, qui efficit, ut latenter adolescamus: ut dor- mientes respiremus. Hæc singulis in rebus can- tanda sunt, & hymnus diuinissimus cantandus, quod intellectum rerum dederit, quod vim ratio- nemq; utendi. Et mox proclamat: Si luscinia es*

sem,

sem, luscinia mun^o fungerer: si olor, olor is, Nunc cum rationale anima sim, Deus mihi laudandus est. Hoc meum munus est, hoc facio, neque stationem hanc deseram, quo ad licuerit: vosq; ad eandem hanc cantilenam exhortor.

Seneca. Magnum nescio quid, maiusque quam cogitari potest, numen est, cui viuendo operam damus, huic nos approbemus. I hæc illi, studeamus ad ea, an & rubeamus?

Idem. Finis est sequi Deum. Sequi autem Deum est, mentem suam submittere gubernanti omnia menti, sicut boni ciues legi civitatis.

Idem. Semper magis volo, quod Deus vult, quam quod ego, adiungar & adhærebo illi, velut Minister & affecla: cum illo appeto, cum illo desidero, & simpliciter atque vno verbo, Quod Deus vult, volo. O in cælo nata, & inde profecta verba! O ego tecum Epicteto sic afficiar! inquit Lipsius.

Idem: Ausim ad Deum sublatis oculis dicere: Utere me in reliquum, ubi libet, & ut libet. Merito tecum consentio, equanimus sum. Nihil recuso omnium, que tibi videbuntur. Quocumq; me voles, ducito; quam vestem libet, circumdato. Magistratum me gerere vis? privatam esse? manere, fugere, in pauperie, in opibus agere. Ego non assentior tantum, sed his omnibus, apud alios, te defendam & tuebor.

Idem. Oportet seipsum ita conformare, ut Diis parcamus, & acquiescamus, in omni b., que

eueniunt, & volentes sequi, ut quæ ab optima mente fiunt & proficiscantur.

Seneca. Hic est magnus animus, qui se Deo tradit.

Alibi: Sapiens, si quid euenerit, sciens legem esse Naturæ: habebit in animo illud vetus præceptum: Deum sequi.

Alibi: In regno nati sumus: Deo parere libertas est. Seneca ex Epicteto:

Duc me parens, celsiq; dominator poli,
Quocunq; libuit. Nulla parendi est mora.
Adsum impiger, fac nolle, comitabor gemens,
Malusque patiar, quod pati licuit bono.
Sic viuamus, sic loquamur.

Idem. Intra mus templa compositi, ad sacrificium accessuri, vultum submittimus, togam adducimus, & in omne argumentum moestitiae fingimur.

II. NOTITIA SVI IPSIVS.

1. Seneca. Initium salutis, est cognitio peccati sui.
2. Multo ad rem magis pertinet, qualis tibi videaris, quam aliis.
3. Totum inspicere mentis tuæ aditum. Etiam si nihil mali facti potest facere. Interim (ait idem vsquam.)
4. Oblivisci interdum quid sis, expedit: & optimum rectissimumq; est aliquem se se ignorare, id est, vires suas, ut in metu potius vitam degat moderatam, quam in superbia insolentem.

tem aut immoderatum. Alioqui recte So-
crates dicebat, sui cognitionem multorum bo-
norum, sui vero ignorantiam multorum malo-
rum causam esse hominibus.

III. SAPIENTIA

Seneca. Studiosum salutarium etiam citra ef-
fectum laudabilis tractatio.

2. Stude non ut plus abis scias, sed ut melius.
3. Plus scire velle, quam sit satis, intempe-
rantiae genus est. (via.)
4. Sapiens non tempore perit vno gradu, sed vna
5. Sapiens est artifex dominandi mala. Stul-
tia laborat fastidio sui.

IV. PRVDENTIA.

1. Prudentia est praesens notio, futurum
pertractans euentum.
2. Si prudentiam amplecteris, ubique idem eris:
& prout rerum ac temporis varietas exigit, ita
te accommodes tempo, nec te in aliquibus
mutes sed potius aptes. Sicut manus, quae ea-
dem est quae in palmam extenditur, & cum
in pugnum adstringitur.
3. Si prudens esse cupis, in futura prospe-
ctum intende: & quae possent contingere a-
nimo tuo cuncta prepone: Nihil tibi subitum
sit, sed totum ante prospicias. Nam qui
providens est, non dicit, Non putavi hoc fieri:
quia non dubitat, sed expectat: non suspi-
catur, sed cauet.

4 Si prudens est animus tuus, vitæ actiones tribus temporibus dispensa: præsentia ordina, futura prævide, præterita recordare. Nā qui nil de præteritis cogitat, vitam perdit: qui nihil de futuro præmeditatur, in omnia incautus incidit.

V. VERA LIBERTAS

1. Deo parere libertas est.

Seneca: Philosophiæ seruias oportet vt tibi contingat vera libertas. Hoc vnum illud studium vero liberale est, quod liberum facit.

2 Libertas vera est, non homines timere, nō fortunam: nec turpia velle, nec nimia, in se ipsum habere maximam potestatem.

3 Libertas animum nostrum in eam asserit libertatem, in qua a parente & auctore Deo productus fuit, vt neque formidet quippiā, neque vlla re doleat, neque vlli deteriori seruiat.

Bonus etiam si seruiat, liber est; malus etiam si regnet seruus est, nempe tot dominorum, quot vitiorum.

4 *Epiet.* Liber sum, quia constitui & conformari voluntatem meam diuinæ. Vult me febricitare? & ego volo. Aliquid aggredi? volo. Potiri? volo. non potiri? nolo. mori? volo.

Quis iam igitur prohibere me, aut cogere præ-

ter

ter voluntatē potest? non maior quam ipsum Deū.

I. FORTITUDO, MAGNANIMITAS.

Seneca. Si vis omnem sollicitudinē exsuerē, quicquid vereris ne eueniat, euenturum utique propone, & quodcunq; illud est malum, tecum ipse metire, & timorem tuū taxa.

Idem. Non est vir fortis, cui non crescit animus, in ipsa rerum difficultate.

2 Si magnanimus fueris, nunquam iudicabis tibi contumeliā fieri. De inimico dices; *Non nocuit mihi, sed animū nocēdi habuit.* Et, cum illum in potestate tua videris, vindictā putabis, non vindicare potuisse. Scito enim magnum & honestum esse vindictæ genus, *Ignoscere.*

3 Mensura magnanimitatis est, nec timidū esse hominē, nec audacem. Eris itaq; magnanimus, pericula si nō appetas vt temerarius, nec formides, vt timidus. Nam dimidū non facit animū, nisi reprehensibilis vitæ Conscientia.

4 Magnanimi est magna contemnere, & mediocria multo, quam nimia.

5 Nil magnum est in rebus humanis, nisi animus magna despiciens. Magnanimus stat rectus suo quolibet pondere. Nulla illum res minorem facit, nil illi eorum, q̄ferenda sunt, displicet. Quicq; d cadere in hominē potest,

L

in se cecidisse nō quæritur, vires suas nouit,
vincit virtute fortunam.

VII. PATIENTIA

Sen. *Ad hoc sacramentum addicti sumus
mortales, ferre mortalia.*

2 Torm nta quidem a me abesse velim,
sed si sustinenda fuerint, vt me in illis forti-
ter, honeste, animose gerā, optabo.

3 Cauere fortunā potest, qui ferre potest.

4 Non qd sed quemadmodū feras, interest.

5 Si simplicior est, qui te la fit, parce illi: si
potentior, tibi.

6 Nondum felix es, si non te turba derise-
rit: si beatus vis esse, cogita hoc, primum cō-
temnere, & ab iis contemni. Durum pati,
meminisse dulce est.

VIII. CONSTANTIA.

Sen. Profice, & ante omnia hoc cura, vt
constes tibi. Quoties experiri voles, an ali-
quid actum sit, obserua, an eadē velis hodie,
quæ heri. Mutatio voluntatis indicat animū
natare aliubi, atq; aliubi apparere, prout tu-
lit ventus.

2 Magnam rem puta, vnum hominē age-
re. Præter sapiētem autem nemo vnum agit.
Ceteri multiformes sumus. Hoc exige a te,
vt qualem te præstare institueris, talem te ad
exitum serues.

3 Nihil est, quod non expugnet pertinax
opera, & intenta ac diligens cura.

+

4 In excelso est beata vita, sed perseuerantia penetrabilis.

5 Maximum indicium est malæ mentis, fluctuatio, & inter simulationem virtutum, amoremq; vitiorum, iactatio.

IX. MANSVETUDO MODERANS IRAM & VINDICTAM.

1 Maximum iræ remedium est mora.

2 Non vis esse iracundus, non sis curiosus.

3 Tollit iram sapientis turba peccantium.

4 Quo minus prefferis irā, eo ab ira magis premeris. Tunc enim incipimus aliis irasci, cum nobis desinimus. Finis namq; iræ, initium est pœnitentiæ.

5 Apud bonum virum cito moritur iracundia, breue amens: & ipsa iracundiæ memoria.

6 Contumeliā nec foris potest, nec in gēnū pat. Graue crimen etiam leuiter cum est dictum non est. Huius, quam miserum est ab illo lædi, de quo non possum credi. Iniuriarū remedium est obliuio. In calamitoso. risus etiam iniuria est. Multis minatur, qui vni facit iniuriam.

7 Magni animi est iniurias despiciere, & vltionis cōtumeliosissimum genus est, non esse dignum visum, ex quo peteretur vltio. Multi siquidē iniurias altius sibi demisere, quam vindicant. Ille magnus & nobilis est, qui more

magnæ feræ minorū canū latrat' obaudit.

X. *HVMILITAS.*

Sen. In secundis nemo confidat, in aduersis nemo deficiat, alternæ sunt vices rerum.

Seneca alter. *Quoque fortuna altius*

Euexit atque leuauit humanas opes,

Hoc se magis suppressere felicem dicit.

Item. *Ima permutat breuis hora summis,*

Quem dies, vidit veniens superbum,

Hunc dies vidit fugiens iacentem.

Nemo confidat nimium secundis,

Nemo desperet meliora lapsus.

Miscet hæc illis, prohibetq; Clotho

Stare fortunam, rotat omne fatum

Nemo tam diuos habuit fauentes,

Crastinum ut possit sibi polliceri.

Res Deus nostras celebri citatas

turbine versat.

Idem. *Dominare tumidus spiritus altos gere,*

Sequitur superbos victor a tergo Deus.

XI. *TEMPERANTIA, AB-*

stinentia, Sobrietas.

Sen. Non est summa felicitatis nostræ in carnē ponenda.

2 Taurus paucissimorum iugerum pascui impletur. Vna sylua Eephantis pluribus sufficit. Homo & terra pascitur & mari: qd ergo. an insatiabilē nobis natura aluū dedit, cum

tam

tam modica corpora dedisset. vt vastissimo-
rū edacissimorumq; animalium auidiatē vin-
ceremus? Minime. quantulū. n. est, q̄ naturæ
datur, paruo illa dimittitur. Nō fames nostri
ventris nobis magno constat, sed ambitio.
Homines itaq; ventri obediētes animalium
loco numeremus non hominum: quosdam
vero ne animalium quidē, sed mortuorum.

3 Nihil tam æque tibi proderit ad tempe-
rantiam omnium rerum, quam frequēs co-
gitatio breuis æui, & huius incerti. Quicq̄
feceris, respice ad mortem.

4 Turpe est sui stomachi non nosse men-
suram.

5 Paruo contentus est venter, si des illi, q̄
debes, non quod potes. Ipse Seneca de se:
*Tali vtor culcitra etiā senex, in qua vestigium
apparere non possit. In frigidam descendi, pa-
nis deinde siccus, & sine mensa prandium, post
quod non sunt lauanda manus.*

XII. CASTITAS, ET CON- tinentia.

Sen. Nobis quoq; militandū est & quidē
genere militiæ, cui nunquam otium datur. De-
bellandæ sunt in primis voluptates, quæ, vt
vides, sæua quoq; ingenia rapuerunt. Si vo-
luptati cessero, cedendum est dolori, ceden-
dū est simul labori, cedendū est paupertati.

2 Amans, quid cupiat scit; qd sapiat nō vi-

det. Amans q̄ suspicatur, vigilans somniat, amor extorqueri nō potest, sed elabi potest. Ab amante lacrymis redimas iracundiam. Amari iuueni fructus est, crimen seni. Amor est otiosa causa sollicitudinis.

3 Nutriendus est pudor, qui quamdiu in animo durauerit, aliquis est bonæ spei locus.

XIII. ΑΥΤΑΡΚΕΙΑ.

Sen. Huc cogitationes tuæ tendant, hoc cura, hoc opta, omnia alia vota Deo remissurus, ut contentus sis temetipso, & ex te nascentibus bonis. Quæ potest esse felicitas Deo propior?

2 Acquiesce tuis, tanto beatior futurus, quanto collectior. Namque animi, ita ut corporis, sanitas expedita, imbecillitas laciniosa est: certumque signum est imbecillitatis, pluribus indigere.

XIV. MODESTIA.

Sen. Magni animi est magna contemneret, & mediocria malle, quam nimia.

2 Nulli affecto satis fuit, quod optanti nimium videbatur.

3 *Sen. Alter:* Quicquid excessit modum, pendet instabili loco.

3 Qui virtutem suam publicari vult, non virtuti laborat, sed gloriæ.

5 Nunquid fortis se fortem gloriabitur,

quem

quem corporis ægritudo efficit infirmum?
 Nunquid diues in opibus suis gloriatur, cur-
 ius spem fur vel tyrannus arripuit? Nunquid
 nobilitas gloriabitur, affecta nonnunquam
 indignis & miserabilioribus seruiens?

**XV. PARSIMONIA ET
 frugalitas.**

Sen. Si ad naturam vixeris, nunquam eris
 pauper: Si ad opiniones, nunquam eris di-
 ues. Exiguum natura desiderat, opinio im-
 mensum.

- 2 Paruo fames constat, magno fastidium.
- 3 Simplicis cura constant necessaria, in deli-
 ciis laboratur.
- 4 Emas non quod opus est, sed quod ne-
 cesse est.
- 5 Facile est, quod natura desiderat, ad su-
 peruacua sudatur.

XVI. VALETVDINIS CVRA

- 1: Hanc sanam & salubrem formam tene-
 te vitæ, vt corpori tantum indulgeatis, quã-
 tum bonæ valetudini satis est. Durius tra-
 ctandum est, ne animo male pereat: cibus fa-
 mem sedet, potio sitim extinguat, vestis ar-
 ceat frigus.
- 2 Fateor corporis nostri nobis insitã cari-

tatem, fateor huius gerere tutelam: Non nego indulgendum illi, seruiendum nego.

3 Gerere nos debemus, non tanquã corpus viuere debeamus, sed tanquam non possumus sine corpore.

4 Honestum ei vile est, cui corpus nimis carum est. Agatur eius diligentissima cura, ita tamen vt exigit ratio.

5 Maior sum & ad maiora genitus, quam vt mancipium sim corporis mei. Contemptus corporis sui certa libertas est.

XVII. CIVILITAS MORVM

Sen. Vt qui variis tempestatibus huc & illuc iactatus est, nec tamen peruenit, non multum nauigauit, sed multum iactatus est: Sic qui diu vixit, nec profecit ad bonos mores, non diu vixit, sed diu fuit.

Mores sibi quisque dat, ministeria vero easus assignat.

Nulla res magis induit animos honestos, & in paruum inclinabiles reuocat ad rectũ, quam bonorum virorum conuersatio.

XVIII. IUSTITIA.

SEN. *Sen.* Quisquis iustitiã sectari desideras, prius Deũ time & ama, vt ameris a Deo. Amabis autem Deum, si in hoc illum imitaberis, vt velis omnibus prodesse, nulli nocere. Et

tunc

tunc te virum iustum appellabunt omnes, sequentur, venerabuntur, & diligunt. Iustus enim vt sis non solum non nocebis, sed etiam nocentes prohibebis.

2 Ab alio expectes, alteri quod feceris. Præstabis parentibus pietatem, cognatis dilectionem; Pacem cum hominibus habebis, cum vitis bellum, amicis fidem, omnibus æquitatem.

*XIX. BENEFICENTIA ET
Liberalitas.*

1 Sapiens est bene debere, beneficia bene soluere.

Seneca.

2 Hæc beneficii inter duos lex est; alter statim obliuisci debet dati; alter accepti nunquam. Qui dedit beneficium, taceat: narret, qui accepit.

3 Tacite danda sunt beneficia, vt nota sint solis, quibus profunt: interdum etiam ipse, qui iuuatur, fallendus est, vt habeat, nec a quo accepit, sciat.

4 Quamuis omni petenti dare debeas; tamen in beneficio spectandi sunt mores, cui datur & animus erga nos, & cohabitatio, & vitæ societas, & ad nostras utilitates officiant collata.

5 Ingratum est beneficium, quod diu inter manus dantis hæsit, quod quis ægre dimittere visus est, & sic dari, quasi sibi riperetur.

Gratissima autem sunt beneficia, parata. facilia, occurrentia, vbi nulla mora fuit, nisi in accipientis verecundia.

6 Lacerat animum & premit frequens beneficiorum commemoratio. Demus beneficia, non sceneremur. Dignus est decipi, qui de recipiendo cogitavit cum daret.

7 Nullum est tam magnum beneficium, quod non vilificare malignitas possit; nullum tam angustum, quod non bonus interpret extendit.

*XX. VERITAS, CANDOR,
Fides.*

SEN. Veritas in omnem partem sui eadem est: tenue est mendacium, perlucet si diligenter inspexeris.

2 Potest nocenti contingere, vt lateat, latenti fides non potest.

3 Ficta in naturam suam cito recidunt: quibus autem veritas subest, quaecunque ex fo'ido enascuntur, in maius meliusq; pcedunt.

4 Malo mihi successum deesse, quam fidem: etiam hosti est æquus, qui habet in consilio fidem. Fidem qui perdit, nil potest ultra perdere. Fides vna anima vnde abit, nunquam redit. Fidem nemo vnquam perdit, nisi qui non habet.

5 Vtrumque in vitio est. Et omnibus credere & nonnullis.

6 Alium

- 6 Alium silere quod voles, prior file.
- 7 Malum hominem blande loquentem, agnosce tuum laqueum esse. Habet enim suum venenum blanda oratio.
- 7 Vt sapienti viro incessus modestior conuenit: ita sapienti viro oratio pressa, non audax. Summa ergo summarum hæc erit tibi, *Tardiloquentem* te esse iubeo.
- 9 Hæc sit propositi nostri summa: Quod sentimus loquamur: Et quod loquimur, sentiamus. Concordet sermo cum viro.

XXI. AMICITIA

- 1 Diu cogita, an tibi in amicitiam aliquis recipiendus sit: cum placuerit fieri, toto illi pectore admitte: tam audaciter cum illo loquere quam tecum. Cum amico omnes cogitationes tuas misce: fidelem si putaueris, facies.
- 2 Mihi defunctorum amicorum cogitatio dulcis est; habui enim illos tanquam amisurus; amisi tanquam habeam.
- 3 Non est quod amicum tantum vel in foro, vel in curia quæras, si diligenter attenderis, domi inuenies. Errat enim, qui amicum in atrio quærit, & in conuiuio probat. In pectore enim amicus, non in atrio inuenitur.
- 4 Omnes amicos habere est operosum, satis est inimicos non habere.

5 Dissimilitudo morum, distantia vitæ, & in-
 gnia contraria dissoluunt amicitiam. A-
 micitias probatas enixe expete, constanter
 retine, pereñiter serua. Inimicitias indi-
 cetas exerce honeste, tarde crede, depone celeri-
 ter.

6. Cum amicis breues rationes, longas a-
 micitias oportet habere.

7 Tu primum exhibe te bonum, & quare
 alterum tibi similem.

8 Amicos in secreto mone, palam autem
 lauda.

9 Amici vitia si feras, facis tua. Ita crede a-
 mico, ne sit inimico locus.

10 Negotiatio est, non amicitia, quæ ad
 commodum accedit. Detrahit enim
 amicitia, qui illam parat ad bonos ca-
 sus.

XX. GRATITVDO.

1 Hoc certe iustitiæ conueniet, suam cuiq;
 reddere beneficio gratiam.

2 Quidam furtiue gratias agunt, & in an-
 gulo, & ad aurem. Verentur palam fa-
 cere, vt sua potius virtute, quam alieno
 adiutorio habere dicantur.

3 Credamus itaque nihil esse grato animo
 honestius.

4 Qui autem grate beneficium accipit,
 primam eius pensionem soluit.

- 5 Reddit beneficium, qui libenter dabit.
- 6 Qui gratus futurus est, statim dum accipit, agnoscit.
- 7 Ad reddendam autem gratiam, opus est & tempore, & facultate, & adspirante fortuna. Nihil tam necessarium aut maiori cura discendum, quam beneficium dare, & gratias agere.

XXIII. GENERALIA PRÆ-
cepta.

NB.

- 1 Triumphus innocentiae est non peccare, ubi liceat: in quem plus potes peccare, define.
- 2 Bis peccas, cum peccato obsequium accommodas. Nil peccant oculi, si non oculis animus imperet.
- 3 Serpunt vitia, & contactu nocent, & in proximum quemque transfiliunt, vita peccantes.
- 4 Nulla possessio, nulla vis auri & argenti pluris: quam virtus aestimanda est.
- 5 Nulli non virtus & viuo & mortuo retulit gratiam: si illam bona secutus est fide.
- 6 Omnia beneficia in luce collocari volunt, sed tamen nullum theatrum virtuti conscientia maius est.
- 7 Sic viuendum est tanquam in conspectu

viuamus: sic cogitandum, tanquam aliquis pectus intimum prospicere posset.

8 Conscientiam magis, quam famam attende. Falli namque sæpe poterit fama: conscientia nunquam.

9 Nullum conscium peccatorum tuorum magis timueris, quam temet ipsum. Alium enim potes effugere, te autem nunquam. Nequitia enim ipsa sui pœna.

10 Hoc vnum discas, vitam hanc contemnere. Nemo illã bene rexerit, nisi qui contemserit. Cogita semper qualis vita tua, non quanta sit. Non enim viuere bonum est, sed bene viuere.

11 Pulcrum est consummare vitam ante mortem, & expectare secure reliquam temporis partem.

12 Nemo scit nostrum, quam prope versetur Deus. Sic itaque formemus animum, tanquam ad extrema peruentum sit.

Venientem nemo hilaris mortem recipit, nisi qui se ad illam diu composuerit.

13 Quicquid feceris, respice ad mortem.

14 Omnis dies velut vltimus ordinandus est.

Hac ex Ethnico audi, meditare, erubescere, sectare.

Nisi hanc viam institeris.

Deo, qui odit operantes iniquitatẽ, odio

eris;

eris: propter te male audiet nomen Dei inter
gentes: Maledictus es ubiq;, & tibi poenas
accesses grauissimas: Satanæ laqueis, ceu
mancipium eius, captiuus teneberis, nõ de-
niq; habebis partem in regno Dei, sed hor-
rendam illi in supremi iudicis audies
sententiam: Ito maledictus in
ignem æternum.

O Homo

*Mors tua, mors Christi, fraus mundi, gloria
coeli,
Et dolor inferni, sunt meditando tibi.*

FINIS.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

21117

Theol. evang. mus.

789 ~~7~~

